bus dare salutem; ergo est paratus omnibus ea conferre, quæ sunt ad salutem necessaria, inter quæ potissima est perseverantia. —— Denique. Deum esse paratum pertinet ad voluntatem antecedentem, esto non ad consequentem: alias non esset paratus omnibus dare salutem; ergo sicut voluntate antecedente omnibus vult salutem, ita eadem vult omnibus perseverantiam.

L. Nec nos terrent contrariæ rationes. Ad primam, nego conseq. Nam etiam gloria est effectus prædestinationis; & tamen illam conferre omnibus paratus est. —— Ad secundam, nego etiam cons. Deus enim non solum paratus est dare (immo de facto dat) auxilia sufficientia, quibus omnes perseverare possint, & salvari; sed etiam efficacia, quibus de facto salventur, nisi obicem ponant, inter quæ est donum perseverantiæ. Exemplum autem confirmationis in gratia non est ad rem. Hæc enim non est necessaria, ut quis de facto salvetur, vel ut possit salvari: & ideo non est mirum, si Deus non sit paratus omnibus illam dare. —— Ad tertiam partier, nego cons. Nam eodem modo probaretur, Deum non esse paratum dare gloriam Reprobis. Deus ergo, ut diximus, sicut vult voluntate antecedente omnes homines salvos: ita eadem voluntate paratus est dare omnibus necessaria ad salutem.

LI. Solet hic agitari: an Deus omnibus det auxilia sufficientia, seu gratiam dantem posse salvari. Sed de hoc abunde dictum est *Tom. 1. in 1. par. Qu. 2. de Voluntate Dei circa hominum salutem, toto Dubio* 3. ubi etiam *Dub.* 1. & 2. omnia, quæ de voluntate Dei, & Christi circa hominum salutem agitari solent, fuse pertractata sunt.

QUÆSTIO II.

De Divisione Gratiæ Actualis.

GRatia communiter primo dividitur in actualem, & habitualem. Quia vero gratia actualis comparatur ad habitualem sicut motus ad terminum; cum omnis gratia actualis habeat pro termino reddere hominem conjunctum Deo, quod per gratiam habitualem formaliter fit: ideo prius varias gratiæ actualis species examinare intendimus; & deinde quæst. sequenti, de gratia habituali sermonem instituere. Porro quia gratia actualis dividi solet in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem: & ista in operantem, & cooperantem, in prævenientem, & subsequentem, in excitantem, & adjuvantem, & tandem in sufficientem, & efficacem; de singulis harum divisionum membris sigillatim in hac quæstione agendum erit.

DUBIUM I.

Quid sit gratia gratis data, & quotuplex.

§. I.

Resolutio prioris Partis.

I. CConvenientem esse divisionem gratiæ actualis in gratiam gratum facientem, & gratis datam, ostendit S. Thomas hic 1. 2. *qu.* III. *art.* 1. Cum enim gratia ad hoc ordinetur, ut homo reducatur ad Deum; hoc dupliciter contingere potest: vel, ut per eam ipse homo reducatur ad Deum, eique conjungatur, & hæc dicitur gratia gratum faciens. Vel, ut per eam cooperetur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur, & hujusmodi donum vocatur gratia gratis data: *Quia* (inquit S. Thom.) *supra facultatem natura, & supra meritum personæ homini conceditur. Sed quia non datur ad hoc, ut ipse per eam justificetur; sed potius, ut ad justificationem alterius cooperetur: ideo non vocatur gratum faciens. Et de hac dicit Apostolus* 1. *ad Cor.* 12. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem, *scilicet, aliorum.*

II. Ne autem dicatur, etiam gratiam gratum facientem esse gratis datam; ac proinde unum membrum hujus divisionis coincidere cum alio, contra regulas bonæ divisionis: secundum est, has duas gratiæ species non in eo distingui, & opponi, quod una sit gratia data, alia non, cum omnis gratia sit gratis data; sed in hoc, quod una sit gratis data tantum, & non etiam faciens hominem Deo gratum; altera sit gratis data; & faciat simul hominem gratum. Unde S. Thomas citato loco ad 3. *Gratia* (inquit) *gratum faciens addit aliquid supra rationem gratiæ gratis datæ, quod etiam ad rationem gratiæ pertinet; quia scilicet, hominem gratum facit Deo: & ideo gratia gratis data, quæ hoc non facit, retinet sibi nomen commune, sicut in pluribus aliis contingit: & sic opponuntur duæ partes divisionis, sicut gratum faciens, & non faciens gratum.*

III. Dico igitur. Gratia gratis dara est beneficium, seu donum a Deo collatum, quod per se, & directe ordinatur ad salutem aliorum procurandam, vel promovendam. Hac definitione gratia gratis data recte distinguitur a gratia gratum faciente: hæc enim *per se* conferitur ad salutem illius, cui conceditur; cum illa e contra ad salutem aliorum per se ordinetur. Dixi *per se*, & *directe*. Nam certum est, gratiam gratis datam, per accidens valere posse ad spiritualem utilitatem etiam homini, cui datur; si nimirum (quemadmodum debet) ea utatur, non ad ostentationem, sed ad Dei gloriam, & vera Dei, ac proximi dilectione, juxta illud Danielis 12. ver. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Similiter certum est, gratiam gratum facientem, si foras per bona opera se prodat, ad aliorum salutem, per accidens plurimum conferre, juxta illud Christi, Matth. 5. ver. 16. *Sic lueeat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.*

IV. Ex hactenus dictis colligitur: gratiam gratum facientem solum dari in eo, qui vel formaliter per gratiam habitualem conjungitur Deo, vel dispositive, ac initiative tendit ad dictam conjunctionem. Unde auxilia, quibus peccatores moventur adversus peccata odio, ac Deum justitiæ fontem diligere incipiunt, ad gratiam gratum facientem reducuntur. Gratia vero gratis data, quia per se solum data in bonum aliorum, nonnunquam in peccatoribus, & pravis hominibus esse potest: cum peccatores, etsi propriam salutem negligant, moveri a Deo possint ad salutem aliorum; sicut Balaamo, quamvis ariolo, & Idololatræ, donum prophetiæ concessit, *Num.* 22. Caiphas impius prophetavit, *Joann.* 11. & Sybillæ, etsi Ethnicæ, dono prophetiæ claruerunt, earumque vaticinia valde ab antiquis Patribus commendantur. Unde Christus, *Matth.* 7. *ver.* 22. legitur dicturus multis, qui in nomine suo Dæmonia ejecerunt, prophetaverunt, & virtutes multas fecerunt: *Nunquam novi vos.* Propterea ex solis miraculis &c. in hac mortali vita per aliquem factis, non potest certo concludi ejus sanctitas (nisi, ut Christus ea faciebat, in testimonium sanctitatis ejus facta sint) etsi non sit dubium, quin gratias miraculorum, & reliquas sæpius solis Justis Deus concedat, ut eos sibi charos esse patefaciat.

§. II.

Resolutio posterioris Partis.

V. DIco. Divisio gratiæ gratis datæ, in novem species ab Apostolo 1. *Corinth.* 12. *a ver.* 7. assignatas, est sufficiens, & adæquata. Ita S. Thomas hac *qu.* 111. *art.* 4. Probatur primo, referendo Apostoli verba. *Unicuique autem* (inquit) *datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum. Alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu. Alii operatio virtuum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis, pro ut vult.* Quibus apparet, quod gratiæ gratis datæ species sunt, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum.

VI. Probo secundo ratione S. Thomæ *ibi*. Gratia gratis data ordinatur ad hoc, quod homo alteri cooperetur, ut reducatur ad Deum: cum autem homo ad hoc operari non possit, interius movendo (quod solius Dei est) sed solum exterius docendo, vel persuadendo, fit, ut tot debeant esse gratiæ gratis datæ species, quot sunt modi, quibus potest homo exterius cooperari, ut alius ad Deum reducatur: sed hoc novem prænumeratis modis contingere potest; ergo &c. Minor ab eodem S. Doctore probatur. Ad hoc, ut homo utiliter instruat alterum de rebus divinis, quæ sunt supra rationem, tria requiruntur. Primo quidem: quod homo sit fortitus plenitudinem cognitionis rerum divinarum, ut possit instruere alios. Secundo: ut possit ea probare, & confirmare. Tertio: ut possit ea convenienter, ac intelligibiliter proferre, ac pronunciare. Ad primum pertinet sermo sapientiæ, sermo scientiæ, & fides. Ad secundum gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum. Ad tertium genera linguarum, & interpretatio sermonum.

VII. Probatur, singula explicando. *Sermo sapientiæ* est ea gratia, qua quis accuratam habet notitiam rerum divinarum, cum promptitudine easdem aliis proponendi, explicandi, & defendendi: *Oportet* enim (inquit S. Thom.) *quod Doctor recte se habeat circa principales conclusiones scientiæ: & sic ponitur sermo sapientiæ, qua est cognitio divinorum.*

VIII. *Sermo scientiæ* est illa gratia qua quis talem habet rerum inferiorum notitiam; ut etiam per illas manifestare possit ea, quæ sunt Dei. Unde S. Thomas, ait: *Oportet, ut* (Doctor) *etiam abundet exemplis, & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas. Et quantum ad hoc ponitur sermo scientiæ, qua est cognitio rerum humanarum: quia invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

IX. Nota tamen: neque sapientiam, neque scientiam hic sumi, prout sunt dona Spiritus Sancti. Nam, ut diximus *Tom.* 1. *in lib.* 2. *Quæst.* 4. *de Donis Spiritus Sancti, Dub.* 2. §. 2. *nu.* 5. & docet Div. Thom. hac qu. 111. art. 4. ad 4. *Sapientia, & scientia non computantur inter gratias gratis datas, secundum quod enumerantur inter dona Spiritus Sancti; prout ea, quæ sunt sapientia, & scientia.... sed computantur inter gratias gratis datas, secundum quod important quamdam abundantiam scientiæ, & sapientiæ; ut homo possit non solum in seipso recte sapere de divinis, sed etiam alios instruere, & contradicentes revincere... Quia ut Augustinus dicit* 14. *de Trinit. cap.* 1. Aliud est scire tantummodo, quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam: aliud est scire, quemadmodum hoc ipsum, & piis opituletur, & contra impios defendatur.

X. Gratia *Fidei* ea est, qua quis excellentem habet de rebus fidei certitudinem, & in illis constantiam; non solum in se, sed

sed simul est idoneus, eas aliis proponere, & eos de illis instruere: *Oportet enim* (ait D. Th. hic in corp.) *quod qui debet alium instruere in aliqua scientia, primo quidem, ut principia illius scientiæ sint ei certissima. Et quantum ad hoc ponitur fides; quæ est certitudo de rebus invisibilibus, quæ supponuntur ut principia in Catholica doctrina.*

XI. Notat tamen S. Th. ibidem ad 2. *Quod fides non numeratur hic inter gratias gratis datas, secundum quod est quædam virtus justificans hominem in seipso: sed secundum hoc, quod importat quamdam supereminentem certitudinem fidei; ex qua homo fit idoneus ad instruendum alios de his, quæ ad fidem pertinent.* Hisce tribus gratiis præclare imbutum fuisse B. Stephanum, testantur Acta Apost. c. 6. v. 5. ubi dicitur: *Et elegerunt Stephanum virum plenum fide*, hoc est, plenum intelligentia ad persuadenda Mysteria. Quare v. 10. Judæi *non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur.* Unde v. 8. dicitur: *Plenus gratia, & fortitudine.*

XII. Ad confirmandam vero fidei doctrinam, quatuor gratiis ornare solet Doctores suos Deus. Prima est *Gratia sanitatum*: qua quis veritatem, quam prædicat, confirmare potest, infirmis largiendo sanitatem, eisque fidem persuadere; non solum propter magnitudinem facti (quod pertinet ad operationem virtutum) sed etiam propter beneficium eis collatum. Quo pacto Petrus *Act.* 3. claudum, qui sedebat ad portam Templi, sanando traxit ad fidem.

XIII. *Operatio virtutum* est, qua quis in fidei confirmationem potest miracula facere; atque ita sola magnitudine facti persuadere veritatem divinam: cujusmodi sunt omnia, quæ Moyses in Ægypto fecit: cum Gedeon stare fecit Solem: quæ etiam ad terrorem, & punitionem incredulorum patrari solent; ut cum Petri objurgatione mortui ceciderunt Ananias, & Saphira.

XIV. *Prophetia* est gratia, qua res occultæ, præsertim futuræ, vel aliquoin a cognitione nostra valde remotæ, divina revelatione cognoscuntur, ut aliis manifestari queant.

XV. *Discretio spirituum* est ea gratia, qua quis potest intima cordis alterius ita penetrare; ut discernere possit, quid in corde alter gerat, & maxime quo spiritu moveatur ad loquendum, vel operandum.

XVI. Has quatuor gratiæ gratis datæ species ita exponit S. Thomas hoc art. 4. in corp. *Confirmatio autem in his, quæ subduntur rationi, est per argumenta; in his autem, quæ sunt supra rationem divinitus revelata, confirmatio est per ea, quæ sunt divinæ virtuti propria. Et hoc dupliciter. Uno quidem modo, ut Doctor Sacræ Doctrinæ faciat, quæ solui Deus facere potest in operibus miraculosis. Sive sint ad salutem corporum: & quantum ad hoc ponitur gratia sanitatum. Sive ordinentur ad solam divinæ potestatis manifestationem; sicut quod Sol fiat, aut tenebrescat, quod mare dividatur: Et quantum ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundo: ut possit manifestare ea, quæ solius Dei est scire: & hæc sunt contingentia futura. Et quantum ad hoc ponitur prophetia; & etiam occulta cordium: & ad hoc ponitur discretio spirituum.*

XVII. Quia vero Sacer Doctor debet posse aliis manifestare ea, quæ sibi revelata sunt: ideo ponitur *Donum linguarum*, quod est gratia, qua ex peculiari Dei munere loqui potest diversis linguis? vel una lingua loquens facere, ut ab omnibus, etsi diversi idiomatis, intelligatur.

Et similiter *Interpretatio sermonum*, quæ est donum, quo obscuros sermonum sensus potest penetrare, atque aliis interpretari.

XVIII. Has duas gratiæ species ita D. Th. citato loco exponit: *Facultas autem pronunciandi potest attendi, vel quantum ad idioma, in quo aliquis possit intelligi: & secundum hoc ponuntur genera linguarum: vel quantum ad sensum eorum, quæ sunt proferenda: & quantum ad hoc ponitur interpretatio sermonum.*

XIX. Constat ergo, novem tantum gratias gratis datas admittendas esse. Nam ad plenitudinem scientiæ dantur solum tres: nimirum, *Fides* propter principia, *Sapientia* propter principales conclusiones, & *Scientia* propter effectus. Ad hoc vero, ut possit confirmare quæ docet, quatuor tantum necessariæ sunt Doctori: scilicet, *Gratia sanitatum* ob corporalem salutem, *Operatio virtutum* ad divinæ potentiæ ostensionem, *Prophetia* ob futura contingentia, & *Discretio spirituum* ad secreta cordium penetranda. Denique, ut possit dicenda proponere, requiruntur tantum duæ, nempe, *Genera linguarum* propter idioma, & *Interpretatio sermonum* propter sensum sententiarum.

XX. Alias tamen gratias gratis datas, præter novem enumeratas, dari sentiunt Vasquez, Bellarminus, & Suarez: nimirum, characterem Sacerdotalem, jurisdictionem in foro interno, & specialem assistentiam Spiritus Sancti Summo Pontifici, & Conciliis legitime congregatis promissam.

XXI. Sed verius dicendum est, ad intentum Apostoli novem tantum esse species gratiæ gratis datæ. Primo: quia hic solum intendit enumerare gratias extraordinarias, quas Spiritus Sanctus, prout vult, quibus vult, & quando vult, impartitur; unde subdit 1. Cor. 12. v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis, prout vult*; & quas in Ecclesiæ exordio largiter effundebat, ut fides propagaretur: non vero de gratiis, quas ad ordinarium Ecclesiæ regimen, & administrationem quovis tempore tribuit, uti sunt character Sacerdotalis, jurisdictio spiritualis, assistentia Spiritus Sancti Pontifici, & Conciliis. Secundo: quia Paulus loquitur de gratiis, quæ sic sunt in aliorum utilitatem, sicque donantur gratis, ut non sit in libera hominis facultate eas consequi, etiamsi velit, sed ex sola Dei voluntate donentur: potestatem autem ministrandi Sacramenta multi, si velint, possunt accipere. Tertio: distinguendæ sunt cum eodem Apostolo 1. *Cor.* 12. *a v.* 4. divisiones gratiarum a divisionibus ministrationum, & operationum: hæ autem quomodo distinguantur, docet D. Th. *ibi lect.* 1. Nam gratia gratis data solum datur ad manifestationem, confirmationem, & promulgationem fidei, quod sufficienter præstatur per dictas novem species. Ministratio, seu ministerium dicit auctoritatem exercendi actum aliquem in ordine ad alios, operatio vero est executio illius ministerii: & ad hæc pertinere dicimus ea, quæ enumerant Suarez, & alii; sunt enim ministeria, & operationes ministerii, non vero ad gratias gratis datas in sensu Pauli.

XXII. Quæres? An præfatæ gratiæ gratis datæ sint in homine per modum habitus, an solum per modum motionis transeuntis?

XXIII. Respondeo, aliquas esse in homine per modum habitus, ut fidem, sapientiam, & scientiam; his enim ad arbitrium, & quando vult, utitur, quod signum est, esse in eo permanenter: alias vero esse in eo per modum motionis, seu impressionis actualis, quæ, producto effectu, statim desinit: cujusmodi sunt aliæ sex sequentes: his enim gratiis ad arbitrium uti non possumus, sed tunc solum quando a Deo movemur, quod de prophetia expresse docet S. Thomas 2. 2. *q.* 171. *a.* 2. ubi dicit, lumen propheticum esse in mente Prophetæ, sicut lumen Solis est in aere *per modum cujusdam passionis, seu impressionis transeuntis. Et hoc significatur Exodi* 33. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ &c. *Et* 3. *Reg.* 19. *dicitur ad Heliam*, Egredere, & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit &c. *Et inde est, quod sicut aer semper indiget nova illuminatione; ita etiam mens Prophetæ semper indiget nova revelatione: sicut discipulus, qui nondum est adeptus principia artis, indiget, ut de singulis instruatur. Unde & Isaia* 50. *dicitur*: Mane erigit mihi aurem, ut audiam, quasi magistrum. *Et hoc etiam ipso modus loquendi prophetiam designat, secundum quod dicitur, quod* locutus est Dominus *ad talem, vel talem Prophetam: aut quod* factum est verbum Domini, *sive* manus Domini super eum: *habitus autem est forma permanens.*

XXIV. Aliquas gratias gratis datas esse in homine permanenter, aliquas vero solum transeunter; expressit S. Gregorius *Homil.* 9. *super Ezechiel.* ubi observat, quod Spiritus S., *Sap.* 1. stabilis simul, ac mobilis appellatur; & ait: *Quia in Sanctorum cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet; juxta quasdam vero recessurus venit, & venturus recedit. In fide etenim, & spe, atque charitate, & in bonis aliis, sine quibus ad Cælestem patriam non potest veniri... perfectorum corda non desinit: in prophetis vero virtute, doctrina facundia, miraculorum exhibitione, Electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit.*

XXV. Ab hac tamen regula excipiendus est Christus; in quo hujusmodi gratiæ fuerunt per modum habitus. Idque primo: quia ejus humanitas erat instrumentum realiter hypostatice unitum divinitati: ideoque sicut talis unio erat permanens, & nunquam dissolvenda; sic etiam gratiæ gratis datæ, quæ talem unionem consequuntur, consentaneum erat, ut in ipso essent permanenter. Secundo: quia Christus erat præditus potestate, quam vocant Excellentiæ; ratione cujus imperio potiebatur in omnes creaturas, & de iis ad libitum suæ voluntatis disponebat: miracula, quando volebat, faciendo, Dæmonibus, morbis, ventis, ac mari imperando, ut legimus in Evangelio. *Et Luca* 6. *v.* 19. dicitur: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Quibus ostenditur, virtutem, seu gratiam sanitatum fuisse in illo permanenter, & ab eo exisse, sicut lux exit a Sole.

DUBIUM II.

De Divisione Gratiæ Actualis in operantem, & Cooperantem.

§. I.

Divisio statuitur, & probatur.

INcipit D. Th. *q.* 111. dividere gratiam actualem gratum facientem in duas species; & hoc *a.* 2. dividit eam in operantem, & cooperantem, de qua divisione,

I. Dico primo. Convenienter dividitur gratia actualis in operantem, & cooperantem. Probatur primo auctoritate Augustini, qui *l. de Grat. & liber. arb. c.* 17. hanc divisionem tradit, & probat. Loquens enim de Apostolo Petro, dicensque, quod *ei non deerat charitas, quamvis parva, & imperfecta, quando dicebat* (Joan. 13. v. 27.) *Domine*, Animam meam pro te ponam. *Et quis* (inquit) *istam, etsi parvam, dare cœperat charitatem; nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit; Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens; propter quod ait Apostolus* (Philipp. 1. v. 6.) Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. *Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

II. Colligitur quoque ex Scriptura. Gratia quidem operans, ex illo Philipp. 2. v. 13. *Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Et ex illo Isaiæ 26. vers. 12. *Omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Utraque vero ex illo 1. ad Cor. 15. vers. 10. *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus la-*

bus laboravi? non ego autem, sed gratia Dei mecum. Unde S. Augustinus *lib. de Gratia, & libero arbitr. cap. 5.* de Pauli vocatione, quæ per gratiam operantem effecta est, sic ait: *Ut autem de Cælo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione, gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala*. De gratia vero cooperante ibidem sic habet: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum; idest, non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*. Item S. Gregor. *lib. 26. Moral. cap. 11.* hæc scribit: *Suprema pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis; ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum, quod jam appetimus, agat nobiscum*.

III. Probatur secundo Assertio hoc discursu. Gratia recte dividitur in eam, qua Deus in nobis sine nobis incipit omnia nostra bona opera, seu in nobis operatur primam bonam voluntatem; & in eam, qua nobiscum operatur perfectionem, seu executionem boni operis, cujus initium jam in nobis operatus fuerat, ut ex dictis apparet; at prior est gratia operans, secunda vero est gratia cooperans; ergo &c.

IV. Adverte tamen: quod cum dicimus, gratiam operantem esse illam, qua Deus operatur primam bonam voluntatem in nobis *sine nobis*; non ita est intelligendum, quod eam operetur sine nobis consentientibus, & libere agentibus: ac si voluntas nostra a Deo mota, mere passive, nihil agendo, seu influendo, in bonum actum se habeat. Nam hic est error Lutheri; & aliorum, quem damnavit Tridentinum *Sess. 6. Can. 4.* Et ratio adest: quia nullus actus vitalis egredi potest a potentia vitali sine influxu illius: unde August. lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 17. *Certum* (inquit) *est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus . . . . . Certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus &c.*

Gratiam ergo operantem solam, sine nobis, in nobis operari dicitur; quia illam habendam nihil nostri contulimus, sive petendo, sive desiderando, sive eam aliquomodo promerendo, aut impetrando; cum enim, ut supponimus, primum bonam voluntatem in nobis operetur; sequitur, quod eam nullus bonæ voluntatis motus antecedat. Itaque operatur sine nobis prius volentibus, conantibus, pulsantibus, desiderantibus, studentibus, meditantibus; non tamen sine nobis per eam influentibus. E contra gratia cooperans dicitur nobiscum operari; quia jam per gratiam operantem conantibus, pulsantibus, desiderantibus, petentibus boni perfectionem, ac executionem operatur. Vel aliis terminis: gratia operans ea dicitur, quæ primam bonam voluntatem deliberatam sola operatur in homine; pura, conversionis ab infidelitate ad fidem, vel a peccatis ad pœnitentiam; cooperans vero ea est, qua homini jam per gratiam operantem volenti, & cooperatur augendo, ac roborando voluntatem, ut efficiat, & perficiat, quod vult, & ad quod conatur. Et hoc est, quod superius dicebamus ex Augustin. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17. *Quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. . . . Ut ergo velimus, sine nobis operatur, cum autem volumus; & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur*.

V. S. Augustino subscribit S. Thom. hic *qu. 111. art. 2.* his verbis: *Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota, & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur: & quantum ad hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra, & movet, & movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ: & secundum hoc dicitur gratia cooperans*.

VI. Quæres: Utrum gratiam operantem comitetur semper gratia cooperans?

Respondeo negative. Nam Deus nonnunquam homines, qui nec de eo cogitant, nec ipsum orant, immo & ei contradicunt, movet ad boni desiderium, ad conversionem, ad imperfectam charitatem; in quibus tamen per gratiam cooperantem non operatur boni executionem, integram conversionem &c. Cum enim, ut docet S. Thom. *art. 2.* gratia operans fit ad illum actum, ad quem Deus se habet ut movens, voluntas vero humana ut mota; *& præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat*: gratia vero cooperans fit ad hoc, ut voluntas perficiat opere, Deo ipsam adjuvante, id, quod ut ab ipso mota cæpit velle; contingit sæpe, quod id, quod velle cæpit, non perficiat: ideoque quod gratiam operantem gratia cooperans non comitetur.

VII. Ex quibus colligere putant aliqui cum S. Doctore dicto *art. 2. ad 4.* quod gratia operans, & cooperans sit eadem gratia; sed distinguatur secundum diversos effectus. Si enim moveat ad actum, ad quem voluntas se habeat solum ut mota, Deus autem movens; idest, ad actum, ad quem nullo modo se præparavit, erit gratia operans: at si moveat ad actum, ad quem voluntas non solum sit mota, sed etiam sit movens seipsam; idest, ad actum, ad quem ex motu gratiæ operantis conatu, ac desiderio se præparet, erit gratia cooperans. Verum licet hoc sustineri possit de gratia habituali, de qua ibi loquitur S. Doct. *qu. 27. de Verit. art. 5. ad 1.* difficile tamen sustineri potest de gratia actuali; quæ, ut dicemus, in motione voluntatis consistit. Nam alia est motio, qua Deus voluntatem prævenit, ac movet, ut velit: alia vero, qua deinde facit, ut homo tandem perficiat, quod ante voluit; cum motio, seu vis motionis, simul transeat cum actione, ad quam datur.

§. II.

Aliqua resolvuntur.

DUbitari solet primo. Quænam gratia hic dividatur: an actualis, an habitualis.

VIII. Dico, hanc divisionem extendi posse ad gratiam habitualem; proprie tamen esse divisionem gratiæ actualis. Priorem partem docet S. Thom. *art. 2.* his verbis: *Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam sanat, justificat, sive gratam Deo facit, dicitur gratia operans; in quantum vero est principium* (radicale) *operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans*. Quod docet etiam *qu. 27. de Verit. art. 5. ad 1.*

IX. Posterior autem pars colligitur ex eodem S. Doctore *art. 2.* citato: ubi primo loco divisionem hanc explicat de gratia actuali, ut dictum est; docens, gratiam operantem esse, dum voluntas nostra est tantum mota, & non movens; cooperantem vero esse, dum mens nostra movetur, & simul movet. Accedit, quod S. Augustinus, ex quo hæc divisio sumpta est, & Scriptura, ex qua ipse Augustinus eam desumpsit, omnino videatur loqui de gratia actuali; quæ per se primum datur ad agere, non ad esse, ut gratia habitualis, Gratia enim operans, secundum Augustinum, & Scripturam, est illa, qua fit, ut bonum salutare velle incipiamus: cooperans, qua fit, ut bonum, quod jam velle cæpimus, faciamus.

X. Dubitari solet secundo. An, cum gratia actualis quædam sit increata, nimirum, Deus ipse gratuito operans, & cooperans; alia creata, nempe, Dei motio, quam imprimit in voluntate: præfata divisio non solum gratiæ increatæ conveniat, sed etiam gratiæ creatæ. Certum enim est, aptissime convenire gratiæ increatæ; cum certum sit, Deum esse, qui, & operando facit, ut velimus, & cooperando, ut quod volumus, faciamus.

Censent quidam; solam gratiam increatam esse eam, quæ dividitur in operantem, & cooperantem; &, præter eam, nullam gratiam actualem creatam admittunt, nisi actiones nostras, sive deliberatas, sive indeliberatas.

XI. Dico. In præfata divisione dividitur etiam gratia actualis creata; non quidem quæ sic nostra actio, sed quæ sit actionis nostræ principium; aliqua nimirum vis, per modum transeuntis, menti nostræ impressa; qua Deus operatur, & cooperatur in nobis ea, quæ ad salutem pertinentia volumus, & facimus. Prior pars probatur. Nam quæcumque bonæ actiones nostræ assignentur, quamvis sint quædam gratia, quatenus gratuito nobis donantur; proprie tamen non sunt gratia actualis. Quia gratia actualis est illa, per quam Deus nos movet, vel nobiscum cooperatur ad actiones bonas, seu salutares faciendas: & per consequens ea gratia debet esse quoddam istarum actionum principium, & istæ actiones illius gratiæ effectus esse debent.

XII. Et confirmat hoc D. Thom. hoc *art. 2.* ubi gratiam actualem, quam dividit in operantem, & cooperantem, vocat *divinum auxilium, quo Deus nos movet ad bene volendum, & agendum*; ergo ex mente S. Doctoris non est ipsa volitio, sed aliquid prius, & causa nostræ volitionis. Et in resp. ad 3. *Homo autem* (inquit) *per gratiam operantem adjuvatur a Deo, ut bonum velit*; ergo bonum velle, est effectus gratiæ operantis, & non ipsa gratia operans. Unde in corp. ejusdem art. ait: *Si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, qua movet nec ad bonum meritorium; convenienter dividitur gratia per operantem, & cooperantem*.

Quibus apparet, S. Doctorem loqui de gratia actuali, quæ non solum distinguatur ab actione creatæ voluntatis, ad quam movet, & quam facit, ut causa, sed quæ distinguatur etiam a Deo, & ab actione æterna, & increata Dei, tamquam motio, & impressio temporalis ab ea producta in voluntate creata, qua Deus voluntatem movet: unde illam vocat *auxilium, motionem*.

Et confirmatur etiam a pari ex iis, quæ docet *Qu. 27. de Verit. art. 5. ad 1.* Quemadmodum enim ex gratuita increata Dei voluntate hominem justificandi descendit in hominem donum habituale creatum, quo formaliter justificatur; ita ex gratuita increata Dei voluntate homines movendi ad bonum, & perficiendi bonum, quod voluit, descendit in hominem motio quædam creata, qua formaliter movet ad bonum volendum, & perficiendum bonum, quod voluit: & illa est gratia operans, ista cooperans.

XIII. Ex his constare incipit posterior pars: quod nempe, gratia actualis creata sit quædam motio, seu vis menti humanæ transeunter impressa. Esto enim tam Scriptura, quam August. cum loquuntur de gratia actuali, dicant, Deum operari, ut velimus, & cooperari, ut quod volumus, faciamus: non tamen dicunt, Deum ita per se operari; ut nullam vim, aut virtutem menti imprimat, per quam faciat voluntatem volentem, vel agentem. Sicut, esto Deus sit, qui justificat; non tamen excluditur, quin hoc faciat per donum gratiæ habitualis creatæ. Immo Aug. *lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16.* explicans modum, quo Deus facit, ut velimus, ac faciamus, dicit, quod hoc præstat *prebendo vires efficacissimas voluntati*. Et S. Bonaventura in 2. *dist. 26. in fine* dicit: *Unde non est aliud dicere, gratiam movere liberum arbitrium, quam gratiam esse instrumentum Spiritus Sancti ad movendum liberum arbitrium*. Cui consonat D. Thom. *Qu. 3. de Potentia art. 7. ad 7.* dicens: *Id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per*

per modum, quo colores sunt in aere, vel virtus artis in instrumento artificis.

XIV. Dubitari solet tertio. An gratia actualis operans registranda sit ad solam illam, quæ primam bonam voluntatem, & maxime circa finem, in homine operatur.

Dico negative. Esto enim gratia operans operetur in nobis primam bonam voluntatem; unde eam pro exemplo affert S. Thomas hoc *art. 2.* dicens: *Præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat*: attamen motus boni, qui in hominibus justis excitantur, etsi primam bonam voluntatem non faciant, a gratia tamen operante fiunt. Unde Augustinus gratiam operantem, non solum in bono assequedo, sed & tenendo requirit: ait enim lib. de Corrept. & gratia *c. 11. Esse in nobis per hanc Dei gratiam* (operantem scilicet) *in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse, quod volumus; verum etiam velle, quod possumus*.

DUBIUM III.

Duæ alia Divisiones Gratiæ Actualis.

§. I.

De Gratia Præveniente, & Subsequente.

I. SAnctus Thomas hac *qu. 111. art. 3.* dividit ulterius gratiam in prævenientem, & subsequentem, quam divisionem sumit ex ordine ad effectus. Unde ait: *Et sicut unus effectus est posterior uno effectu, & prior alio: ita gratia potest dici præveniens, & subsequens, secundum eumdem effectum respectu diversorum*. Hinc quinque præcipuos effectus gratiæ assignat. Primus est, ut anima nostra spiritualiter sanetur. Secundus, ut velit bonum ad salutem pertinens. Tertius, ut bonum, quod vult, exequatur. Quartus, ut in bono perseveret. Quintus, ut ad gloriam perveniat. Tum addit: *Et ideo gratia, secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus: & prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus*. Immo quod gratia possit dici perveniens, & subsequens etiam secundum eumdem effectum respectu diverforum: sicut idem effectus est posterior uno, & altero prior. Sic gratia, secundum quod operatur bonum velle, dici potest præveniens, & subsequens: præveniens respectu bonæ operationis, quam causat; subsequens respectu sanationis, quam subsequitur. Hunc modum spectasse videtur S. Augustinus *lib. de Nativ. & grat. cap. 31.* dum de justificatione nostra differens: *Ubi* (inquit) *operamur & nos* (consentiendo) *sed illo operante cooperamur quia misericordia ejus prævenit nos. Prævenit autem, ut sanemur, quia & subsequitur, ut jam sanati vegetemur. Prævenit, ut pie vivamus; subsequitur, ut cum illo semper vivamus, quia sine nihil possumus facere*.

II. Alio modo explicatur ab aliis sic: ut gratia præveniens dicatur in ordine ad hominem; in quantum Deus sua misericordia hominem prævenit, vel aversum ad se convertendo, vel nondum præparando ei beneficia; quibus suo tempore eum sit conversurus. Quo modo gratia præveniens describi solet: *Gratia, quæ operatur, ut homo bene velit*. Subsequens vero dicatur: *Quæ dat homini exequi bonum, quod volebat*. Hunc modum expressit Sanct. Thom. *qu. 27. de Veritat. art. 5. ad 6.* ubi enumerans varios modos, quibus gratia dici potest præveniens, & subsequens, dicit *Secundo: ut prævenire dicatur, secundum quam aliquis recte vult; subsequens vero, secundum quod rectam voluntatem in exteriori opere exequitur*. Addens, quod secundum hunc modum, *idem videtur esse gratia præveniens, & subsequens, quod operans, & cooperans*.

III. Hunc modum explicandi gratiam prævenientem, & subsequentem indicavit etiam S. August. *in Enchirid. cap. 32.* ubi postquam dixit, quod *hominis voluntatem bonam Deus præparat adjuvandum, & adjuvat præparatam*; subjungit: *Præcedit enim voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in Eloquiis*: & misericordia ejus prævenire me, & misericordia ejus subsequetur me. *Nolentem prævenit, ut velit: volentem subsequitur, ne frustra velit*. His præmissis

IV. Dico. Gratia recte dividitur in prævenientem, & subsequentem, quocumque explicetur modo. Id enim tradit Scriptura: de præveniente quidem Psalm. 20. ver. 4. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Et Psalm. 58. ver. 11. *Misericordia ejus præveniet me*. De subsequente vero Psal. 22. ver. 6. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. Id etiam ex orationibus Ecclesiæ constat. Precatur enim, ut actiones nostras aspirando præveniat, & adjuvando prosequatur; & ut vota nostra, quæ præveniendo aspirat, etiam adjuvando prosequatur. Idem tradit, præter August. supra relatum, Gregorius *Homil. 9. in Ezechiel.* his verbis: *Ipse aspirando nos prævenit, ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus* (potentia conjuncta cum actu) *implere, quod volumus*.

V. Sed dices primo. Oratio nostra Deum prævenit, Psal. 87. ver. 14. *Mane oratio mea præveniet te*. Et Psalm. 118. ver. 147. *Præveni in maturitate, & clamavi. . . . Prævenerunt oculi mei ad te diluculo*; ergo nulla datur gratia, quæ sit absolute præveniens.

VI. Respondeo primo, neg. ant. verba autem ex Psalmis non significant, orationem nostram prævenire gratiam merito, vel causalitate; sed accelerationem orationis, quam indicant verba illa *mane*, & *præveni in maturitate*: idest, summo mane surgens præveni tempus surgendi, ut orarem. — Secundo, dist. ant. Oratio, quæ fit ex gratia præveniente, Deum prævenit, conc. ant. quæ fit ex nobis, nego antec. Oratio, quæ fit et gratia præveniente, prævenit Deum dantem gratiam subsequentem, puta, ad victoriam tentationis: non autem oratio, quæ fit ex nobis. Unde August. *in Enchirid. 32.* ait: *Oramus ergo pro inimicis nostris, ut misericordia Dei prævenias eos, sicut prævenit & nos. Oramus autem pro nobis, ut misericordia ejus subsequatur nos*.

VII. Dices secundo. Dilectio Dei, & gratia ejus idem sunt; atqui dilectio Dei in nos semper est præveniens, & nunquam subsequens, juxta illud 1. Joann. 4. ver. 10. *Non quasi nos diluximus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*; ergo non datur gratia subsequens.

VIII. Respondeo, negando maj. Gratia enim est effectus temporalis dilectionis æternæ Dei, non vero ipsa Dei dilectio. Responsio est D. Thom. hoc *art. 3. ad 1.* dicentis: *Quod dilectio Dei nominat aliquid æternum: & ideo nunquam potest dici, nisi præveniens. Sed gratia significat effectum temporalem, qui potest præcedere aliquid, & ad aliquid subsequi: & ideo gratia potest dici præveniens, & subsequens*: subsequens quidem aliquem divinæ gratiæ effectum, non tamen omnes: ut diximus ex Augustin. in Enchirid. cap. 32. *Præcedit enim voluntas hominis multa Dei dona non tamen omnia*.

§. II.

De Gratia Excitante, & Adjuvante.

IX. DIco. Recte dividi potest gratia actualis in excitantem, & adjuvantem. Utriusque enim meminit Scriptura: excitantis quidem in iis locis, quibus homines quasi dormientes excitat. Ut ad Ephes. 5. ver. 14. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*. Apocal. 3. ver. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso*: stare autem ad ostium, & pulsare, nil aliud est, quam interna inspiratione animam, quoad cælestia dormientem excitare. Adjuvantis etiam meminit in Psal. 78. ver. 9. *Adjuva nos Deus salutaris noster*. Psal. 26. ver. 9. *Adjutor meus esto*. Psal. 118. ver. 117. *Adjuva me, & salvus ero*. Rom. 8. ver. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quod oremus, sicut oportet, nescimus*. Utramque suis in precibus a Deo postulat Ecclesia: excitantem Dominica secunda Adventus: *Excita Domine corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias*. Dominica vigesimaquarta post Pentecostem: *Excita Domine suorum Fidelium voluntates*. Postulat etiam adjuvantem, dum in Officio, ad Primam, Christum sic alloquitur: *Exurge Domine, adjuva nos*. Et in die Paschæ: *Vota* (inquit) *nostra, quæ prævenendo aspiras, etiam adjuvando prosequere*.

X. Utramque agnoscunt & Patres. Bernardus. *lib. de Gratia, & lib. arb.* ait: *Conatus nostri ad bonum & cassi sunt, si gratia non adjuvantur, & nulli, si non excitentur*: Et ante illum S. August. *lib. 2. de Peccat. merit. cap. 18.* ait: *Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante, atque adjuvante non possumus*. Item Conc. 1. in Psal. 58. *Non ego* (inquit) *prior ad te exsurrexi voluntate, sed tu ad excitandum venisti*. Et in Psal. 8. *Ipse me attraxit; quia in occulto a morte cordis, non quilibet medicus, sed ipse excitavit*. Adjuvantem quoque agnovit. Ubi enim Pelagianis ostendit, Deum nostras bonas voluntates prævenire, operari, excitare; concedit eis, quod ad bonum exequendum, ut ipsi fatebantur, adjuventur. Sic *lib. 1. ad Bonif. cap. 10.* ait: *Dixisti tu, Juliane, hominem in bono opere a Deo semper adjuvari, tamquam sua voluntate, nulla Dei gratia opus aggressus, in ipso jam opere divinitus adjuvetur*.

XI. Ad hæc omnia respicientes Tridentini Patres *Sess. 6. cap. 5.* docent eos, *qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponi*. Et cap. 6. *Disponuntur autem* (inquit) *ad ipsam justitiam, dum, excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum*. Et *Can. 3.* divini adjutorii meminere; sicut & *Can. 4.* divinæ excitationis, & Dei excitantis.

XII. Dicis primo. Omnis gratia est adjuvans. Unde Aug. *lib. 2. ad Bonif. cap. 8.* (*seu contra duas Epist. Pelagian.*) contra Pelagianos docet, nihil nos posse sine Dei adjutorio; nec voluntatem præparare, nec os aperire, nec aliud quidquam. Unde doctrina fidei est: *Gratia Dei, & adjutorium ad singulos actus datur*. De qua Augustin. *Epist. 106.* modo 186. *ad Paulinum*. Secundo. S. Thomas hic quamvis expresse de divisione gratiæ agat, hujus tamen divisionis non meminit.

XIII. Respondeo ad primum, quod omnis gratia est excitans, & adjuvans, sed secundum diversa. Excitans est, quatenus primam voluntatem facit; adjuvans vero, quando bonam voluntatem ad opus manducit. Unde S. August. citato lib. 2. ad Bonifac. *Non ait* (Christus) *sine me nihil potestis perficere; sed* facere. *Nam si perficere dixisset, possent isti* (Pelagiani) *dicere: non ad incipiendum bonum, quod a nobis est, sed ad perficiendum, esse Dei adjutorium necessarium. Verum audiant & Apostolum; Dominus enim cum ait*: Sine me nihil potestis facere; *hoc uno verbo initium, finemque comprehendit: Apostolus vero tamquam sententia Dominica expositor, apertius utrumque distinxit, dicens*: Quoniam qui in vobis opus bonum cæpit, perficiet usque in diem Christi Jesu.

XIV. Ad secundum dico, S. Thomam gratiæ excitantis, & adjuvantis non meminisse; quia eam sub gratia operante, & cooperante, vel sub præveniente, & subsequente tacite comprehendit. Sicut nec meminit gratiæ inspirantis, seu incipientis, & prosequentis, ac perficientis, gratiæ ducentis,

tis, & comitantis: quia gratia inspirans incipiens, ducens, quoad effectum, idem est, ac operans, & præveniens; sicut prosequens, perficiens, comitans, cum gratia cooperante, vel subsequente convertuntur. Videndum modo est, quid sit gratia excitans, & quid adjuvans.

XV. Dico. Gratia excitans, & adjuvans non consistit in solis externis suasionibus, illustrationibus, aut similibus; sed in actuali intrinseca Dei motione: quæ si ante omnem actum liberæ nostræ voluntatis nos movet; ut, vel ab infidelitate ad fidem, vel a peccatis ad pœnitentiam, vel ut ab otio ad actum convertamur, erit gratia excitans: si vero hominem jam excitatum movet, ut perfectius velit, quod velle incepit, erit gratia adjuvans.

XVI. Prior pars suadetur. Quia vera Dei gratia, quam Ecclesia Catholica contra Pelagium fatetur, debet afficere non intellectum solum, ei proponendo bonum; sed etiam movere voluntatem, ut bonum, vel incipiat velle, si prius nolebat, vel ut in bono prosequatur, si jam volebat; sed suasiones, illustrationes, & alia similia mentem quidem pulsant, sed voluntati nihil tribuunt, & consequenter non aliud sunt, quam lex, vel legis, ac peccati cognitio, prædicatio; ergo nil aliud dicunt, quam gratiam Pelagianam, contra quam S. Augustinus *Epist.* 107. modo 217. *ad Vitalem*, & alibi, serio inculcat: *Gratiam Dei non esse in lege, atque doctrina, sicut Pelagiana perversitas despipit*. Cui subscribit S. Prosper *c.* 14. *de Ingratis*.

XVII. Posterior quoque pars constat. Nam si suasiones, & illustrationes conjunctum habent aliquem bonum motum voluntatis; tam illæ inspirationes, quam ille motus voluntatis pertinent ad gratiam excitantem: quia effectus gratiæ excitantis sunt, excitare mentem ad objecti considerationem, & pia affectione, ac sancto desiderio inclinare ad illud voluntatem. Utrumque expressit S. Augustinus *l. de Spiritu, & lit. c.* 34. dicens: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & credamus; sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, . . . sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem: sed consentire, vel dissentire propria voluntatis est*.

Hoc autem fieri per actualem motionem, quæ simul intellectum illuminet, & faciat eum apprehendere bonum ad salutem pertinens, & voluntatem ad illud inclinet; adeoque utramque potentiam elevet, instruat, & roboret: constare potest ex iis, quæ superius diximus, *Dub.* 2. §. 2. *n.* 11. de gratia operante, & ex inferius dicendis plenius apparebit. Juxta quæ intelligi potest Concilium Trident. dum *Sess.* 6. *c.* 5. ait, Deum per Spiritus Sancti illuminationem tangere cor hominis: & dum *Can.* 4. ait, liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum cooperari Deo excitanti, atque vocanti. Hic enim utriusque gratiæ effectum indicat; nempe, excitantis, dum ait motum, & excitatum: & adjuvantis, dum subdit, cooperari Deo excitanti ad executionem boni operis.

DUBIUM IV.

De Gratia Sufficiente, & efficaci.

§. I.

Quo sensu Gratia dicatur Sufficiens.

I. CElebris est divisio gratiæ in sufficientem, & efficacem; sive in gratiam, quæ tantum est sufficiens, & non efficax, & in eam, quæ est efficax, & non tantum sufficiens. In hoc tamen nomine gratiæ sufficientis magna committitur æquivocatio. Quidam enim per gratiam sufficientem, eam intelligunt, præter quam nihil aliud est ex parte Dei necessarium, ad hoc, ut homo credat, diligat, bene operetur, aut in bono perduret: & in hoc sensu eam intelligunt Molinæ discipuli. Et hoc modo definitur, quod sit: *Auxilium, præter quod, ex parte Dei, non alio opus est homini, ut actu operetur*. Unde Lessius *in Disput. Apologet. c.* 9. ait: *Sufficiens dicitur, quod continet omnia necessaria ad opus: itaut per illud in potestate hominis sit, sine alio auxilio, opus facere. Nihil enim potest dici sufficiens ad aliquam operationem, & finem; nisi cui nihil deest, quod sit necessarium ad illum, ut possit ex terminis*. Alii vero gratiam sufficientem vocant, quæ etsi se sola non sufficiat proxime ad actu credendum, diligendum, sed egeat gratia efficaci dante actu credere, diligere &c. sufficit tamen, ut per eam homo redditur in actu primo potens credere, diligere &c. Ita D. Thomæ discipuli. Secundum quod gratia sufficiens definiri potest: *Auxilium, quod ita tribuit credere; ut tamen homini alio, ex parte Dei, opus sit ad actu credendum &c.* Unde si hoc non adsit, poterit quidem homo credere, sed nunquam actu credet. Quod ita explicat Zumel in 1. 2. disp. 4. sect. 2. concl. 1. *Auxilium gratiæ Dei, quod appellatur sufficiens, non vocatur sufficiens ex eo, quod quasi ipsum solum sit satis ad actu habendum illam operationem, ad quam ultimo ordinatur, quasi non sit aliquid aliud necessarium, nisi quod non apponatur impedimentum*. His præmissis.

II. Dico primo. Gratia non dicitur sufficiens, ita ut, ex parte Dei, nil aliud requiratur ad actu operandum. Probatur. Tum quia: alioquin sequeretur, eos, qui haberent talem gratiam sufficientem, non debere Deum orare pro gratia ulteriori; cum supponatur, nil aliud requiri, ex parte Dei, ad actu bene operandum, præter id, quod jam dedit. Tum quia sequeretur, vel gratiam efficacem non esse necessariam ad bene operandum, & perseverandum in bono; cum hæc gratia sufficiens se sola ad illa omnia absque ulteriori gratia ex parte Dei sufficiat: vel certe hominem posse illam gratiam sufficientem reddere efficacem sine ullo Dei ulteriori auxilio; ac proinde bene operantem, non ex gratia discerni, sed a se ipso se discernere a non bene operante: quia ipse absque ulteriori, ex parte Dei, adjutorio gratiam sufficientem reddidisset efficacem, quod alter non fecisset, contra celebre Pauli dictum 1. Cor. 4. vers. 7. *Quis enim te discernit?* Quod testimonium alibi fuse expendimus, & præcipue *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 6. *de Scientia fut. cond. dub.* 4. §. 1. *a n.* 3. & *q.* 4. *de Divin. voluntat. causal. & efficac. dub.* 1. §. 2. *n.* 8.

III. Quapropter Bellarmin. *lib.* 1. *de Gratia, & lib. arbit. cap.* 12. ubi cum recensuisset opinionem eorum, qui existimant, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat efficacem esse, quæ alioquin ex se non esset nisi sufficiens; ita scribit: hæc opinio aliena est omnino a sententia B. Augustini; & quantum ego existimo, a sententia etiam divinarum Scripturarum. Nam S. August. *lib. de Prædest. Sanct. cap.* 8. dicit, gratiam (efficacem videlicet) a nullo duro corde respui, quia ipsa cor emollit. Ubi vides efficaciam tribui gratiæ, non voluntati humanæ. Bellarmino subscribit Tannerus *disp.* 6. *qu.* 2. *dub.* 5. ubi dicit, eam opinionem, quæ dicit, in potestate hominis esse, gratiam reddere efficacem, quæ alioquin ex se non esset nisi sufficiens, sibi nunquam potuisse probari.

IV. Dico secundo. Gratia sufficiens, ut distinguitur ab efficaci, est auxilium, quod dat quidem posse operari, præter illud tamen requiritur aliud ex parte Dei actu operandum. Ita omnes ex schola S. Thomæ, inter quos etiam Bellarminus, Tannerus supra citati. Et quidem primo probatur. Nam hoc modo recte salvatur divisio gratiæ in sufficientem, & efficacem, in eam, nempe, quæ solum est sufficiens, & non efficax, & in eam, quæ est efficax, & non solum sufficiens. Dari enim gratiam, quæ non solum sit sufficiens, sed efficax; nimis aperte constat ex Scripturis, in quibus actu agere pietatis opera Deo tribuitur: *Deus est enim* (inquit Paulus Philip. 2. v. 13.) *qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Ezechiel. 36. v. 26. *Dabo vobis cor carneum . . . . . & faciam, ut in præceptis meis ambuletis: & judicia mea custodiatis, & operemini*; ubi Deus dicitur emollire cor, & facere, ut in præceptis illius ambulemus. Et *Roman.* 7. v. 24. victoria tentationum non ab alio, quam a Dei gratia dicitur expectanda: *Quis me liberabit de corpore mortis? Gratia Dei per Jesum Christum*.

V. Dari quoque gratiam dantem posse, sed non agere; ita ut ad agendum ulteriori gratia opus sit: constat ex iis Scripturæ locis, quibus ostenditur data aliquibus gratia, qua potuerunt bene agere, & non egerunt. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus* (ait Stephanus Act. 7. v. 51.) *& auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut Patres vestri, ita & vos*. Proverb. 8. v. 24. *Vocavi* (inquit Deus) *& renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret*. Unde Paulus 2. Cor. 6. v. 1. *Exhortamur* (inquit) *vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; datur ergo gratia, quæ potest recipi in vacuum, idest, quæ dat posse, sed non agere: cui propterea potest resisti, & quæ in vacuum recipi potest. Hanc; quia non admisit Jansenius, ideo hæc ejus propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, ab Innocentio X. proscripta fuit.

VI. Probatur quoque ex Augustino, qui fatetur primo, aliquibus dari parvam, & imperfectam voluntatem ad bonum; qui tamen alia perfectiore & robustiore indigent. Quare *lib. de Grat. & lib. arb. c.* 17. ait: *Ipsam charitatem* (magnam, & robustam) *Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non est in charitate, sicut ait Joannes in Epistola sua, sed perfecta charitas mittit foras timorem: & tamen quamvis parva, & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino*: Animam meam pro te ponam.

Fatetur secundo: *in Epist. ad Vitalem*, ubi de fide, quæ per imperfectam, & inchoatam dilectionem operatur, & propterea non dat integram mundationem, & perfectam libertatem, concedit, quod det *posse* integre mundare, & *posse* perfecte sanare: *Per quam* (inquit) *scit* (Diabolus) *eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissime liberos* (*quod eis vehementer invidet*) *in æternum regnare*.

Fatetur tertio *in libro de Gratia Christi*: ubi observat, tria a Pelagio fuisse distincta: *Possibilitatem, voluntatem, actionem: possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus, voluntatem, qua vult esse justus, actionem, qua justus est*. Hæc autem tria, quæ ibidem *cap.* 4. hisce tribus nominibus: *Posse, Velle, Esse*, seu *Agere*, brevius expressit, admittit Augustinus: si tamen fateatur Pelagius, *possibilitatem* a gratia adjuvari, ac præterea ad *Velle*, & *Agere* uberiorem aliam gratiam requiri. Ergo Augustinus admisit gratiam, quæ licet non det dum uberiorem aliam gratiam requirat) dat tamen *posse Velle*, & *posse Agere*.

Fatetur tandem *lib. de Corrept. & Grat. c.* 11. & 12. ubi duplex adjutorium distinguit: unum *sine quo*, alterum *quo*. Primum dat posse, secundum dat agere. Primum datum fuit Adamo, & ideo poterat perseverare. Secundum ei datum non fuit, & ideo non perseveravit. Unde ait cap. 12. *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, dare, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*. Sentit ergo Augustinus, dari auxilium sine quo, dans posse, seu sufficiens; quod ad actu agendum indigeat ulteriori auxilio *quo*, seu efficaci dante agere. Insuper ibidem comparat adjutorium *sine quo* alimentis. Quia sicut sine

sine alimentis non possumus vivere; non tamen cum adfuerint alimenta, fit, ut homo vivat, ut patet in iis, qui senecant: sic adjutorium sufficiens, sine quo non possumus bene agere, non quo fit, ut bene agamus. Recolantur dicta *Tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 6. *de Scient. futur. Condit. Dub.* 8. §. 3. *n.* 16. 17. & 18.

VII. S. Th. non minus, quam S. Augustinus, agnovit hoc auxilium dans posse, sed non agere, *Lect.* 2. *in cap.* 3. *ad Ephes.* ubi exponens verba Pauli ibid. v. 7. *Cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus*; Dicit duplex adjutorium datum fuisse Paulo: unum quidem, quo ei datum fuit *posse*, seu facultas exequendi; aliud, quo ei datum fuit *agere*, seu exequi: *Hujusmodi autem* (inquit) *auxilium duplex fuit: unum quidem ipsa facultas exequendi; aliud ipsa operatio actualis. Facultatem autem dat Deus, infundendo virtutem, & gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum; sed ipsam operationem confert, in quantum operatur in nobis, interius movendo, & instigando ad bonum. Et ideo hoc accipiens Apostolus a Deo, dicit quantum ad primum: Dico, quod factus sum minister, sed certe non meis meritis, sed secundum donum gratiæ, quæ data est mihi; quia scilicet idoneus efficior ad executionem divinorum mysteriorum &c. Quantum autem ad secundum dicit, secundum operationem, quam Deus efficit; in quantum virtus ejus operatur in nobis velle, & perficere*. Igitur ex S. Thoma facultas operandi, seu posse agere, quod est a gratia, & quo homo fit potens, & aptus ad operandum, distinguitur ab eo, quo fit actu agens, quod est per motum, & instigationem.

VIII. Rationem distinctionis principii dantis posse a principio dante agere, etiam in spiritualibus, & supernaturalibus, sumit ab eo, quod contingit in corporalibus. *Videmus autem* (inquit 1. 2. q. 109. art. 1.) *in corporalibus, quod ad motum non solum requiritur ipsa forma, quæ est principium motus, vel actionis; sed etiam requiritur motio primi moventis*. Unde infert: *Sic igitur actio intellectus, & cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo. Uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit. Alio modo, in quantum ab ipso movetur ad agendum*. Ergo similiter in agente modo supernaturali requiritur forma, quæ sit principium agendi, & motio primi agentis. Illa antem forma erit gratia sufficiens; quia per eam fit potens agere in ordine supernaturali: & motio primi agentis erit gratia efficax, quia per eam fit actu agens.

§. II.

Ea, quæ obstant, Refelluntur.

IX. OBjicies primo, probando, omnem gratiam actualem esse efficacem, sic. Omnis Dei motio est efficax: sed omnis gratia actualis est Dei motio; ergo omnis gratia actualis est efficax. Maj. prob. Quod est a Dei voluntate, est semper efficax; quia ut docet D. Th. 1. *p. q.* 19. *art.* 6. necesse est, voluntatem Dei semper impleri; ergo &c.

X. Respondeo primo, negari posse, omnem gratiam sufficientem esse motionem actualem: cum, ut ex D. Thom. vidimus, possit etiam esse per modum habitus dantis posse permanenter. Sed hoc omisso. Respondeo secundo, dist. probationem maj. Est semper efficax, respectu effectus, ad quem proxime ordinatur, & quem Deus absoluta voluntate intendit; conc. maj. Respectu effectus ulterioris, ad quem, vel ex se, vel ex Dei voluntate antecedente ordinatur, nego maj. Explico hoc. Gratia sufficiens, qua Deus movet hominem, puta, ad fidem amplectendam, duos respicit effectus. Unum, ad quem proxime ordinatur, & quem Deus absoluta voluntate intendit; & hic est dare homini posse ad fidem, & hunc in primis effectum semper habet gratia sufficiens, quod per eam reddatur homo potens in actu primo credere: cui potentiæ semper conjunguntur actus, ut illuminationes, & excitationes intellectus ad considerandum, & proponendum ea, quæ fidei sunt; & excitatio voluntatis ad concipiendum desiderium, saltem imperfectum, & piam affectionem erga fidem: & circa hæc gratia semper est efficax. Si enim Deus interiori motione movet intellectum, eumque illuminat; & voluntatem excitat; omnino consequens est, ut intellectus moveatur, & voluntas excitetur, sicque, ut in intellectu surgant cogitationes, & in voluntate desideria, saltem imperfecta, de fide. Alter postea est effectus, ad quem ejusmodi excitationes ordinantur, nimirum, actu amplecti fidem, & credere: & respectu hujus gratia est tantum sufficiens, & non efficax; quia voluntate dandi gratiam sufficientem hic effectus non intenditur a Deo voluntate absoluta, & efficaci, sed solum antecedente, inefficaci, & conditionata. Quæ doctrina in hac materia maxime attendenda est: tollit enim multas æquivocationes.

XI. Objicies secundo. Gratia, quam dicimus sufficientem, si alia ulteriori gratia indiget ad actum ponendum, solo nomine erit sufficiens: illud enim ad aliquem finem comparandum non est vere sufficiens, præter quod, ad eum finem, aliquid aliud est necessarium. Sic oculus per se non est sufficiens ad actu videndum, quia eget adjutorio lucis: sicut nec frustulum panis est sufficiens ad exsaturandum, quia, præter illud, alia ulterior quantitas panis requiritur.

XII. Respondeo, ut aliquid dicatur, & sit vere sufficiens, non requiri, ut per se, ac sine alio sit sufficiens in omni genere; sed solum in eo genere, in quo ponitur sufficiens. Sic bonus ædificator est sufficiens ad domum ædificandam in genere causæ efficientis; quamvis in genere causæ materialis ad actu ædificandum egeat lapidibus, calce &c. Sic farina cum aqua est sufficiens ad panem inde conficiendum, in genere causæ materialis; quamvis in genere causæ efficientis necessarius sit, qui panem conficiat. Et Pictor arte peritus sufficiens est ad pingendum; quamvis ad actu pingendum indigeat pennicillo. Ita gratia sufficiens ad fidem erit vere sufficiens; quamvis ad actu credendum indigeat ulteriori gratia; quia in suo genere, & ad effectum, ad quem proxime datur nimirum, ut hominem faciat aptum, & dispositum ad credendum, seipsa sufficit: quod autem ulterior gratia requiratur ad actu credendum, extra genus gratiæ sufficientis est, & ad genus gratiæ efficacis pertinens; Alias sequeretur, quod nec homo justus esset vere sufficiens, & potens meritorie operari; quia ad actu meritorie operandum indiget ulteriori gratia speciali. Ad id, quod dicitur de luce, dico, quod vel lux non requiritur ad complendam potentiam visivam in ratione potentiæ, sed solum ad manifestandum objectum, & ad actu videndum, & sic oculus sanus est vere potens, ac sufficiens, etsi in alio genere indigeat luce: & sic exemplum facit pro nobis. Vel lux requiritur ad complendam potentiam visivam: & sic exemplum non est ad rem. Frustulum autem panis non est sufficiens ad exsaturandum; quia, nisi adjungatur materia, non est vere potens. Unde exemplum debet poni hoc modo: sicut magnus panis, est, ut actu exsaturet, indigeat, ut a comedente sumatur; adhuc tamen seipso sufficiens est ad exsaturandum; ita gratia fidei, etsi ad actu credendum indigeat gratia efficaci, erit tamen sufficiens ad credendum.

XIII. Quod si dicas. Quomodo gratia sufficiens dat posse proximum, & expeditum, si non potest exire in actum, nisi mediante alio, nempe, gratia efficaci, quam homo non habet in sua potestate?

XIV. Respondeo, optime salvari, quod gratia sufficiens det posse proximum, & expeditum in ratione potentiæ: quia licet, ut exeat in actum, requirat gratiam efficacem; hanc tamen requirit, non ut det, vel compleat potentiam, sed ut potentiam conjungat cum actu. Neque hoc est novum: nam plus requiritur ad operari, quam ad posse operari. Sic Pictor per artem est potens absolute pingere; nunquam tamen pinget sine pennicillo: & homo per suas potentias operativas est potens operari, nunquam tamen operabitur, nisi Deus eas ad actum moveat. Eadem ergo ratione, per gratiam sufficientem, quæ habet rationem potentiæ, homo fit potens converti, & bene operari; numquam tamen convertetur, aut bene operabitur, nisi Deo, per gratiam efficacem, ipsum ad actum movente: quam esto in sui potestate non habeat, de ea tamen sibi adfutura in misericordia Dei considere debet; nisi per negligentiam, aut aliam suam culpam ipse non obstet.

XV. Hunc loquendi modum Tridentina Synodus nos docet; cum ait, nemini Justo impossibilia esse divina mandata: *Nemo* (inquit Sess. 6. cap. 11.) *temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*; ergo nec præceptum perseverandi finaliter est homini justificato impossibile. Atqui eadem Synodus docet eadem *Sess. cap.* 13. & *Can.* 16. singulare donum perseverantiæ, ad actu perseverandum requisitum, non omnibus Justis dari; & hoc non in hominis, sed in solius Dei potestate esse; ergo jam Concilium supponit, esse in omnibus Justis potentiam ad actu perseverandum, quamvis non omnibus adsit auxilium efficax, quod ad actu perseverandum ex parte Dei requiritur.

Immo hoc ipsum fateri debent Mediistæ. Nam & ipsi contendunt, omnes habere gratiam, qua possunt servare divina mandata, & perseverare: cum tamen dicant, gratiam congruam, seu gratiam in iis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævisi sunt consensuri, & quæ ad actu observandum divina præcepta, & actu perseverandum requiritur, non omnibus dari.

XVI. Objicies tertio. Gratia sufficiens dat ad summum parvam, & imperfectam voluntatem, & inchoatum desiderium superandi, puta, tentationes: sed hoc non efficit, ut quis possit eas superare; ergo &c. Minor probat. ex Augustino *lib. de Grat. & lib. arbit. cap.* 17. dicente: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest; jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam*. Et addit, eum tantum posse servare mandatum, qui magnam, & robustam voluntatem, quæ per solam gratiam efficacem datur, habuerit: *Poterit autem* (inquit) *cum magnam habuerit, & robustam*. Quod confirmat Petri exemplo, quem dicit errasse: cum per parvam illam, & invalidam voluntatem existimavit, se posse pro Christo mori: *Et tamen* (inquit) *quamvis parva, & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino, animam meam pro te ponam: putabat enim se posse, quod se velle sentiebat*.

XVII. Qualis fuerit S. Augustini mens, circa gratiam sufficientem, ostensum est §. præcedente. Nunc ergo respondeo, S. Augustinum citatum solum velle, parvam, & imperfectam voluntatem non dare posse, quod nullo alio indigeat, ut cum actu conjungatur; non tamen velle, quod nullum omnino det posse. Uno verbo: negat, gratiam sufficientem per seipsam dare *posse*, potentia consequente; non vero negat dare *posse*, potentia antecedente. Quod si in aliquibus locis solam gratiam efficacem, *gratiam Christi* vocare videatur; hoc non est, quia putet, gratiam sufficientem veram per Christum gratiam non esse, sed vel quia inter gratias actuales gratia efficax, utpote dans actu agere, principem locum tenet; ideo eam *Gratiam Christi*, quasi per antonomasiam, nuncupat. Vel quia gratia efficax erat illa, de qua inter eumdem Augusti-

gustinum, & Pelagianos, ac Semipelagianos præcipua erat controversia. Quare lib. de Gratia Christi c. 10. *Sed nos* (inquit) *eam gratiam volumus, ipse* (Pelagius) *aliquando fateatur, quo futura gloria magnitudo, non solum promittitur, verum etiam creditur, & speratur; nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur; nec suadetur solum amor, quod bonum est, verum & persuadetur.*

XVIII. Objicies quarto, gratiam sufficientem distinctam ab efficaci esse inutilem, immo noxiam, & perniciosam. Inutilem, quia nullum habet, nec unquam habuit effectum. Noxiam, quia hominem facit magis reum, quam si non adesset.

XIX. Sed hos, ac similes Jansenistarum cavillos attulimus, & dissolvimus *Tom. 1. in 1. p. q. 4. de Divin. Volunt. & efficac. Dub. 2. §. 3. n. 55. usque ad 69.* quo Studiosum remitto. Modo dico, gratiam sufficientem, etsi per seipsam non perducat hominem ad actum, puta, conversionis; excitat tamen, ut diximus, illuminationes in intellectu, & pia desideria in voluntate, quæ sunt dispositiones ad actum conversionis. Quare sicut inutiles non sunt dispositiones, licet per seipsas non conjungantur cum forma, immo nec semper actu conjungantur: ita nec gratia sufficiens erit inutilis, quamvis per seipsam, nec semper cum forma, nempe cum gratia efficaci, ad quam tendit, actu conjungatur.

Multo minus erit noxia: sed potius homo facit eam sibi noxiam, si adjutus gratia sufficiente, majori cupiditate peccet. At, cæteris paribus, minor est cupiditas in eo, qui adjutus gratia sufficiente peccat; quam in eo, qui eadem destitutus peccat. Nam iste nullo amore justitiæ tenetur: ille e contra eam imperfecte saltem desiderat. Addo: quod si hæc instantia valeret, dici etiam posset, legem esse noxiam, & perniciosam; quia qui sub lege peccat, gravius, quia majori cognicione, peccat; quod tamen nemo, etsi rigidus Jansenista, dixerit. Merito igitur Sanct. Inquisit. Decreto 7. Decembris anni 1690. sub Alexandro VIII. confixa fuit hæc propositio, ordine 6. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut merito possimus petere: a Gratia sufficiente libera nos Domine.*

XX. Concludo. Quod si quæratur: Cur voluntas adjuta auxilio sufficiente non exequitur bonum opus, ad quod per illud auxilium movetur, & per quod accepit potentiam illud exequendi? Respondendum est, id oriri ab ipsamet voluntate; quæ licet bonum opus exequi possit, ipsum tamen plenum, ac integra voluntate non vult executioni mandare —— Si autem rursus quæratur: Quare non velit? Non est respondendum, id contingere, quia gratia efficaci careat. Sicut si quæratur: cur infirmus non ambulet? Non est dicendum, quia a Medico curatus non sit. Sed plane respondendum est, voluntatem adjutam sola gratia sufficiente, ideo nolle bonum opus exequi, quia iniqua est: ideo autem est iniqua, quia res temporales magis, quam spirituales amat, & amare vult.

Superesset hic tractanda quæstio hisce temporibus celebris: An scilicet gratia sufficiens detur omnibus, non solum justis, sed peccatoribus, obstinatis, infidelibus, adultis, & etiam parvulis. Sed ab ea abstineo, cum pro dignitate agitata fuerit *Tom. 1. in 1. p. q. 2. de Volunt. Dei: An Christus mortuus sit pro omnibus, integro Dub. 3.* Quare illuc Studiosum mitto.

D U B I U M V.

Unde Gratia suam habent Efficaciam.

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. Quæstio hæc, quæ scholas implevit, a nobis tractata est tum *Tom. 1. in 1. p. q. 6. de Scient. fut. condit. dub. 3.* ubi rejecta fuit scientia media. Tum *q. 4. de Divin. Volunt. efficac. & causalis. dub. 1. & 2.* sub nomine divini decreti: ubi statuimus, decreta Dei non esse ex se indifferentia, sed efficacia ab intrinseco, nec ladere arbitrii creati libertatem. Et hoc ex Scripturis, Patribus, præsertim S. Augustino, & Thoma, & tandem ex ratione. Tum etiam *Tom. 1. in 1. 2. q. 2. de Voluntario libero dub. 5.* ubi §. 2. ostensum est, non esse contra naturam, immo conforme, & consentaneum naturæ voluntarii liberi creati, quod, ut agat, physice præmoveatur a Deo. Quapropter ne inutiliter eadem repetantur, sobrie hic sub nomine Gratiæ quæstio tractabitur.

II. Controversia hæc inter Nostrates, & Patres Societatis primo agitari in Belgio, & in Hispaniis cæpit: deinde Romam traducta fuit. Ejus ortum, & progressum deseripsimus citato *Tomo 1. in 1. p. q. 6. de Scient. futur. Cond. dub. 3. §. 1.*

Docebant ergo PP. Societatis, præeunte Molina, primo: gratiam efficacem nihil ex parte Dei, seu ex parte sui includere, quod alia gratia, quæ inefficax, & sufficiens dicitur, non includat. Unde gratiam in eodem homine eodem modo affecto, modo esse efficacem, modo inefficacem: efficacem, quod voluntas humana ei consentiat; inefficacem, quod eadem pro arbitrio dissentiat: itaut usus gratiæ a libero arbitrio sit, adjuto tamen concursu simultaneo, qui ordinis sit supernaturalis; qui tamen ab ipsa actione creatæ voluntatis sit indistinctus.

Docebant secundo: Deum per gratiam prævenientem non movere physice voluntatem creatam ad bonum operandum, sed moraliter tantum, hoc est, ad instar suadentis, & adhortantis: Deumque propterea non agere physice in voluntate, sed cum voluntate per gratiam cooperantem agere in effectum; ita ut substantia operis homini tribui debeat, etiam quoad speciem virtutis, cujus est actus, puta, fidei, &c. modus vero, nempe, supernaturalitas Deo attribuatur. Ea fere ratione, qua is, qui navem cum alio trahit, physice non agit in socium, sed tantum in effectum socii, scilicet, navis tractionem & quidem partialiter.

Docebant tertio: Deum non magis determinare ad bonum usum gratiæ prævenientis, urgente tentatione, quam ad malum usum. De quo videri potest Molina *in Conc. q. 14. disp. 16.*

III. Verum, ut ab invidiæ suspicione, quam in aliquorum animos ingesserat hoc Sistema liberarent; illud temperare conati sunt excogitando gratiam, quam vocant *congruam*. Ea autem gratiæ congruitas in eo posita est, quod Deus eam in illis circumstantiis largiatur, in quibus per scientiam mediam prævidet, humanam voluntatem ei suum concursum præbituram. Deus ergo, secundum Congruistas, ut gratiam, quæ effectum habeat, largiatur, attendit ad dispositiones, seu ad effectus, in quibus futura est voluntas in his, aut illis occasionibus. Dicunt enim, in œconomia gratiæ suæ Deum eodem modo se gerere, quo quis, dum a Rege quidquam obtinere proponit, expectat tempus, & circumstantias, in quibus prævidet, Regem plerumque benevolo ac liberali esse animo. Et sicut sapiens ac prudens Medicus, ut applicet remedium, attendit circumstantias loci, temporis, status, & dispositionis, in quibus est æger: sic etiam Deus in conferenda sua medicinali gratia, attendit circumstantias loci, temporis, ac naturalis dispositionis; in quibus prævidet, suam cælestem medicinam habituram esse effectum, ad quem spiritualiter ægroto confertur.

IV. Hinc ajunt, hominem, qui bene operatur, ab alio non bene operante, se non discernere. Qui enim, puta, credit, ab ipso Deo discernitur, qui dedit ei gratiam, positque eum in illis circumstantiis, in quibus prævideret, sic affectam fore ejus voluntatem, ut gratiæ consentiret: cum e contra bonum non operanti eam dederit in circumstantiis, in quibus prævideret, eum non consensurum. Hinc etiam ajunt, homines dum Deum orant, non petere a Deo, ut illis det gratiam, hanc enim, instante præcepto, cuique adesse volunt: sed, ut det eam in illis circumstantiis, in quibus ab æterno prævidit, consecuturam esse effectum, si eam dederit. Tandem prædestinationis gratuitæ ad gloriam executionem repeti volunt ex iis circumstantiis, in quibus ab æterno prævidit, voluntatem gratiæ suæ consensum finaliter præbituram. Ex quibus omnibus patet, in sententia Patrum societatis, gratiam, ut a Deo est, & ex sua natura, esse indifferentem, & efficaciam habere solum ab extrinseco, nimirum ab eventu, & a circumstantiis.

V. Lutherus autem ita gratiam sua natura efficacem posuit, ut liberum arbitrium hominis prorsus extinguat; immo sub ea nihil agat, sed tamquam inanime instrumentum ab ea agatur. Cui adhæsit ex parte Calvinus, qui ait, gratiam sua efficacia ita agere in voluntatem, sicut sessor agit in equum, inducens necessitatem absque ulla indifferentia. A Calvino parum, vel nihil in hoc recedunt Bajus, & Jansenius, qui sub gratiæ efficacia fatentur consistere solam libertatem a coactione, non a necessitate; contra hos egimus *Tom. 1. in 1. 2. q. 2. de Volunt. lib. Dub. 2. & 2.*

VI. At veri SS. Augustini, & Thomæ discipuli ita statuunt gratiam ab intrinseco efficacem ut sua efficacia non destruat, sed faciat potius, & foveat humanam libertatem.

§. II.

Gratiam non esse Efficacem solum ab Extrinseco.

VII. Dico primo. Gratia non est efficax præcise ab eventu, seu a consensu voluntatis creatæ. Probationes *Tom. 1. in 1. part. quæst. 6. de Scient. fut. cond. Dubiis 4. 5. 6. & 7.* ubi fundamenta pro ea asserenda jecimus ex Scriptura, Augustino, Thoma, rationibus inconvenientibus, quæ ex opposita sententia sequi videntur; & simul ejusdem fundamenta non subsistere, demonstravimus.

VIII. Nunc solum aliqua inconvenientia, quæ ex opposita opinione videntur sequi, oculis Lectoris iterum subjiciemus. Et quidem primo. Videtur sequi, inutiles esse orationes Ecclesiæ. Quid enim peteret? Gratiam prævenientem? At quid peteret, quod certo scit, sibi semper adesse; etiam cum gratiam certo scit, sibi semper adesse; eoque pro arbitrio utitur luce ad videndum, vel non utitur. Peteret consensum? At quid peteret, quod sciret, in nostra positum potestate, si volumus: *Nam quid stultius* (ait Aug. l. de Nat. & grat. c. 18.) *quam orare, ut faciat, quod in potestate habeas?* Posset ergo petenti respondere Deus. Quid a me petis? Gratiam prævenientem, & concursum meum simultaneum semper habes: consensum vero, non in mea, sed in tui solius posita habes potestate.

IX. Sequi videtur secundo: nec debere hominem pro obtenta victoria tentationis gratias agere Deo. Esto enim non sine gratia præveniente, & concomitante victoriam reportabuit ille etiam, qui succubuit: sed quia suo arbitrio bene usus est gratia, qua poterat male uti. Sicut victoria non ei tribuitur, qui dedit gladium, sed ei, qui bene usus est gladio, & hostem occidit: *Prorsus enim* (ait Aug. Epist. 107. n. 217. ad Vitalem c. 2.) *non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.*

X. Sequi videtur tertio: Deo tribui, quod minus est, homini vero, quod majus est. Id enim, quod in bono opere principem locum tenet, est velle bonum; quod vero minus præcipuum est, est posse illud velie: atqui sententia, contra quam agimus, dat Deo solum posse velle bonum, homini vero dat velle, & operari bonum —— Nec dicas, velle bonum etiam tribui Deo, qui dedit nobis voluntatem, & vires, quibus possemus velle bonum —— Nam contra. Vires, ut a Deo sunt, indifferentes sunt ad volendum bonum, & malum: quod autem velint, & operentur potius bonum, quam malum, habent a nobis; ergo habent a Deo, quod minus bonum est, a nobis autem, quod majus bonum est. Et insuper: si, quia dedit Deus posse velle bonum, satis est, ut bonum velle Deo tribuatur; tribuiquoque ei debebit ipsum velle malum: quia dedit voluntatem, quæ etiam potest operari malum, illamque concursu simultaneo adjuvat, etiam dum operatur malum. At quia respondere possunt, Deum non solum dare voluntatem, & posse bonum velle; sed etiam eam ponere in circumstantiis, in quibus operatura est bonum, extra quas bonum non operaretur; & ideo velle bonum specialiter illi attribui: ideo

XI. Dico secundo. Efficacia gratiæ non debet repeti ex attemperatione gratiæ cum humana voluntate, quæ subsit scientiæ mediæ. Probata manet ex dictis *Tom. 1. in 1. p. q. 6. de Scient. condit. dub. 4. §. 1. n. 9. & 10.* Stando tamen in superius dictis, dico, hanc modificationem, seu attemperationem gratiæ non evadere inconvenientia allata. Nam si Deus, ut suam gratiam reddat efficacem, attendit ad mores, genium, affectus, & dispositiones naturales hominis, cui gratiam confert;

XII. Sequitur primo; homini, in quo gratia est efficax, gratiæ efficaciam tribuere, ac esse primam causam discretionis sui a non reddente eam efficacem, nec operante bonum. Prima enim causa, qua gratiæ consentit, & ab alio discernitur, est, quia bonæ indolis est, bene educatus, bene naturaliter affectus; Se habet enim, sicut se habet ægrotus, cui a perito Medico pharmacum attemperatum suæ complexioni, & in debitis circumstantiis porrigitur: at ratio, cur illis in circumstantiis pharmacum sic attemperatum profit, petitur ab ægroti complexione, qua se discernit ab alio ægroto diversæ complexionis; cui si idem pharmacum daretur, maxime obesset; ergo pariter ratio, cur gratia congrua profit, ultimo refunditur in indolem bonam, genium, & naturalem complexionem hominis, cui confertur, & per hæc se discernit ab eo, cui aliter affecto, si eadem gratia daretur, efficax non esset, quia ei non consentiret.

XIII. Sequitur secundo: orationes Fidelium fore inutiles. Quid enim peterent? Ut Deus daret illis gratiam efficatem? At hoc ex eorum bona indole, & genio gratia habet, non a Deo. Quid etiam pro ea obtenta Deo gratias agerent, si hoc non a Deo esset, sed ex eorum bona indole? —— At inquies, oraret Deum, ut daret gratiam attemperatam, & in illis circumstantiis, in quibus prævidit, eam fore efficacem; & pro ea sic obtenta gratias ageret. ----- At esto. Nimirum, oraret Fidelis Deum, ut daret gratiam sibi congruam, & pro ea obtenta gratias ageret; eo modo, quo quis rogaret amicum, ut sibi daret ensem congruum, & in circumstantia, qua hostem certo vinceret: at si illo ense hostem vincat: cui tribuenda est victoria? Illi, qui ensem dedit, quem si dedisset alteri, succubuisset; an sibi, ejusque arti in bene utendo gladio? Ita dicas de eo, qui gratia congrua bene utitur.

XIV. Deinde ponamus hominem in extremo vitæ periculo gravi tentatione vexatum: iste quid tunc a Deo petet? Gratiam in genere? At istam Deum omnibus dare, quoties instat præceptum, Adversarii concedunt. Gratiam congruam? Nequaquam. Aut enim naturalis dispositio, in qua versatur, est attemperata gratiæ; aut non est attemperata. Si primum: non oportet, ut oret, sibi dari gratiam congruam; quamcumque enim Deus concesserit, erit congrua. Si secundum: gratia, quæ a Deo dabitur, non erit congrua; ac proinde frustra in eo articulo positus gratiam congrum postulabit. Gratiam certe congruam non postulat Ecclesia; cum in suis precibus a Deo petit, ut det bonum consensum, & ut ad se rebelles compellat ire voluntates. Hinc

XV. Probo directe Assertionem. Supponit adversa opinio, Deum in suæ gratiæ dispensatione attendere ad mores, genium, affectus, dispositionem naturalem hominis, cui gratiam confert: hoc autem esse falsum, evinco. Primo: quia Deus gratiam suam largitur sæpius in iis circumstantiis, in quibus illi, quibus eam confert, interius, & exterius maxime sunt a Deo aversi, ut contingit in Paulo; de quo Augustinus *l. de Prædest. Sanctorum c. 2.* hæc habet: *Aversus quippe a fide, quam vastabat, eique vehementer aversus, repente est ad illam gratia potentiore conversus, convertente illo, cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est*: Tu convertens vivificabis nos; *ut non solum ex nolente fieret volens credere: verum etiam ex persecutore, persecutionem in ejus fidei, quam persequebatur, defensione pateretur.* Et sane quid congruum suscipiendæ fidei invenit gratia Christi in Paulo tunc; cum *spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*, acceptis a Principe Sacerdotum litteris, ibat Damascum, ut, *si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem?* (Actorum 9. vers. primo, & secundo.)

XVI. Secundo: congruitatem, & circumstantias ad suscipiendam gratiam Deum sua gratia facere, non supponere, docet idem August. *Homi. 23. inter quinquaginta*, his verbis: *Adulter non fuisti in illa vita tua præterita, plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum, malumque discernens, nondum credens in eum, qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus. Tunc regebam te mihi, servabam te mihi. Ut, aut adulterium commisteres, suasor defuit; ut suasor deesset, ego feci. Locus, & tempus defuit: ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes, & quod non admisisti. Mihi debet iste, quod suasum est, & admissum vidisti: mihi debes tu, quod non admisisti. Nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si deesset Rector, a quo factus est homo.* Quibus dispositiones, & circumstantias a peccato retrahentes Deum facere, non supponere, ac expectare, ut suum effectum producant, docet Augustinus.

XVII. Tertio: Deum facere, non expectare bonas circumstantias, docet S. Prosper Carmine de Ingratis c. 16.

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat.
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit; non moribus illi
Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis.

Cui concordat Concilium Arausicanum II. quod *Can. 4.* ait: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, resistit ipsi Spiritui Sancto.* Expectaret autem voluntatem nostram Deus, si, ut suam gratiam redderet efficacem, attenderet ad naturalem nostram dispositionem; ex quo etiam fieret, ut gratiæ efficacia, & effectus initium sumeret a nobis; quod in Semipelagianis Ecclesia Catholica semper reprehendit. Fieret quoque, ut Deus non posset hominem sua gratia ad se libere convertere quando, ubi, & quomodo sibi placuerit, contra illud celebre Augustini dictum in Enchirid. c. 96. *Quis porro tam impie despiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?*

XVIII. In favorem gratiæ congruæ objici solent quædam S. Augustini loca, ex *l. 1. ad Simplicianum qu. 2.* ubi inter multa dicit: *Nullius Deus frustra miseretur: cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

XIX. Sed ad hoc respondimus citato *Tomo 1. in 1. p. q. 6. de Scient. fut. condit. Dub. 5. §. 3. n. 32.* S. Doctorem ibi loqui de congruitate, non præsupposita, sed facta per gratiam. Videantur ibi dicta. Aliter etiam responderi potest, S. Augustinum non loqui de vocatione interna, quæ per internam inspirationem fit; sed de vocatione externa, per signa, quæ sunt motiva credibilitatis. Unde ibidem ea enumerans, dicit: nonnullos aliquibus tantum verbis auditis in Christum credidisse, ut Nathanaelem: aliquos visis miraculis, ut discipulos, qui viso miraculo in Nuptiis Canæ in Christum crediderunt: alios e contra, nec visis miraculis, nec mortuis suscitatis credidisse: visis cicatricibus in Christi Corpore unum credidisse ex discipulis: & tandem multos, qui a Christi miraculis nihil permoti fuerunt, miraculis per discipulos patratis ad fidem adductos fuisse. Certum autem est, quod nec verba, nec miracula, nec mortuorum suscitatio, nec cicatrices, aliaque signa, quæ tamquam credibilitatis motiva, non aliud sunt, quam vocatio tantum externa, qua per signa exteriora vocare exterius solet, secundum quod scit, unumquemque esse affectum: quæ licet sint veluti semen, cui in iis, quibus sibi placet, Deus postea incrementum confert per interioris gratiæ subministrationem; ipsamet tamen gratia non sunt, per quam *fit, ut sit homo bona voluntatis, cum prius fuerit voluntatis mala*, ut ait August. *l. de Grat. & lib. arb. c. 15.* Reliqua, quæ pro gratia congrua afferri solent, videri possunt soluta citato *Tomo 1. Q. 6. Dub. 4. 5. 6. & 7.*

XX. Dico tertio. Gratia dicitur efficax per se, & ab intrinseco. Assertionem hanc ex Scripturis, Augustino, S. Th., & ratione abunde statuimus sæpius citato *Tomo 1. q. 4. de Divin. Volunt. causal. & effic. Dub. 1.* integro, eamque optime cum libertate creata cohærere ostendimus, maxime ex Div. Thoma *q. citata dub. 2.* Quibus (solum mutato nomine decreti efficacis in nomine gratiæ efficacis) omnia haberi possunt, quæ ad eam statuendam, & ab impugnationibus vindicandam sufficere possunt.

XXI. Hoc facile Candidatus meus assequetur, si præ oculis semper habuerit, liberum arbitrium hominis in hoc naturæ corruptæ statu esse attenuatum ad bonum, & curvatum ad sensibilia: & quamvis per gratiam justificantem sanetur quantum ad mentem; aget tamen gratia actuali, qua efficaciter sanetur quantum ad carnem rebellem; qua erigatur ad bonum rationis, & offendicula carnis tollantur. Sicut ergo, qui hominem juvaret ad motum, faciendo, ut se moveret, tollendo, vel detinendo omnia impedientia motum, non lederet ejus libertatem ad motum, sed juvaret, & faceret: ita gratia efficax, quæ hoc idem facit, non lædit, sed facit libertatem. Audiatur S. Augustinus l. de Spirit. & litt. c. 30. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati: per fidem, imperratio gratiæ contra peccatum; per gratiam sanatio animæ a vitio peccati; per animæ sanitatem libertas arbitrii &c.*

XXII. Nec dicas, S. August. *l. 3. Hypognosticon c. 11.* dicere, quod *gratia comparatur ad voluntatem, sive ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum.* Quo exemplo abutitur Calvinus, ut ostendat voluntatem a gratia necessitari.

Nam primo dico, libros illos non esse Augustini, etsi ejus nomen præferant; cum nec Augustini phrasim habeant, nec a Possidio, Beda, aut ullo ex Veteribus Augustino tribuantur. —— Adhuc tamen dico, quod gratia ibi comparatur ad liberum

liberum arbitrium, sicut sessor ad equum; ut ostendatur, quod sicut sessor ad equum se habet ut movens, equus ut motus, sequitur ductum sessoris, non sessor ductum equi: ita gratia movet liberum arbitrium, & hoc sequitur motum, & ductum gratiæ; *Prodisequa, non pravia voluntate*, ut ait Aug. *Epist.* 106. *c.* 3. Cæterum sessor movet equum necessario, quia equus incapax est libertatis. Deus per gratiam movet hominem libere, quia libertatis capax est: agit enim in unoquoque secundum ejus proprietatem ut ex Div. Thoma sæpius repetitum est. Videri etiam possunt ea, quæ dicta sunt *Tomo* 1. *in* 1. 2. *q.* 1. *de Volunt. libero. Dub.* 5. ubi statuimus, non esse contra naturam, immo conforme naturæ voluntarii, ut physice, & efficaciter moveatur a Deo. Quod superest explicandum, est.

§. II.

Examinatur Nova quædam opinio de Æquilibrio Virium ad Libertatem Indifferentiæ necessario.

XXIII. PRodiit hæc doctrina ex libro quodam Gallico, quæ ad duas propositiones a suis Auctoribus reducitur. Prima est: *Ut libere fiat supernaturalis actio, dum tentatio violenta opponitur; necesse est, habere potentiam completam resistendi, vimque æqualem, aut proportionatam violentiæ tentationis.* Altera est: *Ut quis sit liber a peccato, necesse est, habere potentiam completam, gratiam rejiciendi, vireque æquales, aut proportionatas virtuti attractivæ gratiæ.* Quæ propositiones clarius explicatas invenio in *Responsi ad notas* 12. *Art.* Parisienses, editis Mechliniæ anno 1726. ad *art.* 4. ubi sic dicitur: *Distinguimus Catholici inter propensionem, seu facultatem, & inter vires. Vires significant potestatem simpliciter sufficientem ad bonum, & malum. Hæ potestates debent esse æquales, idest, tam debet voluntas habere potestatem simpliciter sufficientem resistendi gratiæ, quam habere potestatem simpliciter sufficientem resistendi tentationi. Hoc scilicet est, quod Apostolus docet* 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. *Si nunquam tentatio concupiscentiæ est supra id, quod possumus; ergo adest semper potestas parresistendi. Atque hoc est, quod Catholici appellant æquilibrium virium, idest, vires utrinque resistendi pares: vel aliis terminis, potestatem physicam ad utrumque simpliciter sufficientem.* Itaque secundum hoc æquilibrium, ut sit potestas completa, & sufficiens resistendi tentationi gravi ut decem, debent esse vires gratiæ victricis ut decem: & ut sit potestas resistendi gratiæ victrici ut decem, debent vires concupiscentiæ augeri ut decem. Et, quod mirum est, de hac doctrina ejus Auctores adeo inflantur; ut exiliiment, nullum vere Catholicum eam reprobare posse, sed omnes ad eam amplectendam teneri; nec aliter Apostoli dictum superius allatum, aut doctrinam Tridentini, *Sess.* 6. *Can.* 4. definientis: *Liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum . . . posse dissentire, si velit*, aut Apostolicæ Sedis definitiones, absque errore explicari posse.

XXIV. Dico. Hoc æquilibrium virium, quo quis possit resistere, sive tentationi ingruenti, sive gratiæ attrahenti, quod fingitur necessarium ad libertatem, non est admittendum.

Probo primo. Hujusmodi æquilibrium, quod asseritur necessarium ad libertatem, prorsus fuit incognitum: vel si cognitum, nunquam adhibitum a Conciliis, & Patribus, qui pro libertate statuenda dimicarunt. Nec Augustinus ipse, cum a Massiliensibus (teste Prosspero, & Hilario in suis litteris ad eumdem datis) ejus doctrina, tamquam eversiva libertatis traduceretur; in libris de Prædest. SS. & de bono perseverantiæ, quos edidit in sui defensionem nullam hujus æquilibrii mentionem fecit. Imo in gratiæ defensione persistens, lib. de Prædest. SS. cap. 6. *Alii* (inquit) *credunt, alii contradicunt: sed cum aliis præparetur voluntas a Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordia ejus, quid de judicio.* Quasi diceret: Quod aliqui credant, alii contradicant, non ex eorum voluntate, quæ in æquilibrio virium posita se determinat ad credendum, vel contradicendum, procedit: sed ex misericordia Dei, qua aliquibus præparavit voluntatem ad credendum, aliis ex judicio non præparavit. Alioquin victoria tentationis, si æquales pro utraque parte starent vires, non ex vi gratiæ, sed ex nostra voluntate penderet: quia hæc, non gratia, lancem utrimque parem in unam potius partem inclinaret, quam aliam. Quemadmodum si posita lanx cum æquali utrimque pondere, vel nunquam in unam potius partem inclinaret, si utrimque idem pondus semper maneret: vel si ad unam potius partem inclinaret, hoc ab eo esset, qui pondus ex ea parte addidisset. Vel ergo, stante in voluntate æquilibrio virium, nihil ei additur, quo magis in unam partem ponderet, quam in aliam; & sic, quemadmodum lanx, manebit suspensa: aut aliquid additur, quo determinate libere propendat; hoc autem, vel additur a Deo per gratiam victricem; vel ab ipsamet voluntate creata sua determinatione. Si a Deo determinante, & inclinante lancem liberi arbitrii, & adhuc libere: quid prodest libertati hoc æquilibrium? Si a determinatione voluntatis creatæ; ergo isti, non Deo tribuetur victoria: quia ista erit, quæ pugnavit, & vires concupiscentiæ rationi subegit. Sed hoc negat August. *l.* 1. *qu. ad Simplicianum c.* 1. dicens: *Spiritus Dei est, qui pugnat in te adversus te, & adversus illud, quod est in te*, imo est contra Paulum 1. Corinth. 15. vers. 57. qui ait: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

XXV. Noverat tamen hujusmodi æquilibrium Sanctus Augustinus, sed illud noverat, tamquam a Pelagio assertum. Unde *Epist.* 186. alias 106. *ad Paulinum cap.* 10. scribit: *Aliquando enim ita paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance prependit; ut quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere, definiat Pelagius. Quod si ita est: nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere:* Ecce æquilibrium a Recentioribus excitatum: sed ecce quoque inconveniens, quod nos contra ipsum adducimus. Quod absurdum esse, Augustinus ipse judicavit *lib.* 3. *Oper. imperf. contra Julian. cap.* 117. his verbis: *Cur enim tu adminicula gratiæ supponis bonæ voluntati; cum voluntas mala nullo innitatur adminiculo, ut mala sit, & mala esse persistat? An hic libera tua, quam conaris ex utraque parte, per æquilia momenta, suspendere, ut voluntas quantum esset ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, urgendo in unam partem, te indicat delirantem?* Vel ergo isti æquilibrii Renovatores, ut homo graviter tentatus actu, & de facto tentationem vincat, aliquod novum gratiæ pondus requirunt; vel non? Si requirunt; tollitur æquilibrium: & cum juxta illos non stet libertas sine æquilibrio, tollitur etiam libertas. Si vero non requirunt; ergo tantum est voluntas ad bonum, quantum est ad malum, quod reprobat Augustinus.

XXVI. Probo secundo, & confirmo dicta, ostendendo, quod sicut Pelagius volebat æquilibrium, quia peccatum originale negabat: ita isti illud volendo, videntur esse peccati originalis obliti. Si enim quanto magis crescit tentatio, tanto majores debet Deus dare vires voluntati, ut salvetur æquilibrium, & libertas; quas si non daret, voluntas creata non libere, sed necessario tentationi succumberet, & proinde non peccaret: ubi esset imbecillitas carnis fauciatæ per originale peccatum? Sit igitur tentatio ut decem: non succumbet, quia habebit vires, ut decem. Sit ut centum: resistet, quia æqualibus sanctis desideriis a Deo munietur, ita ut stare, vel non stare in ejus plena libertate, nullo superaddito ulteriori adjutorio ad standum, positum sit. Quid felicius, quam quod in hoc conflictu divina misericordia, contra tentationem, omnibus æquale præsidium tribuat: quod si non daret, homo tentationi succumbens non peccaret, & quo dato, alio adjutorio non egeat, ut stet, nisi ut velit stare? Quid ergo tentati oramus Deum, ut nos teneat, ne cadamus; si totum dat, imo dare debet, unde stare possimus: nec ad standum nil aliud a Deo expectandum est, sed unice a nobis, nempe, nostrum velle? Quid amplius haberemus, si Adam non peccasset, quam æquales vires ad standum, & stare, vel non stare in nostra positum voluntate?

XXVII. Hoc certe non probavit Augustinus, qui in *lib. de Correption. & gratia cap.* 12. cum distinxisset duplex adjutorium; unum dans posse perseverare; quod vocat adjutorium *sine quo*: aliud dans actu perseverare, quod vocat adjutorium *quo*, dicit, Adamum ideo in innocentia non perseveraffe, quia illi adfuit quidem adjutorium, *sine quo* perseverare non posset, sed illi defuit adjutorium, *quo* perseverans fieret. Felicior ergo esset homo in statu naturæ corruptæ, qui per æquilibrium virium, correspondens adjutorio *sine quo* (quia sine illo non posset) nedum perseverare posset in bono; sed absque ullo ulteriori adjutorio, *quo* etiam perseverare vellet, & actu perseveraret. Quod tamen Augustinus citato loco negat. Quidquid enim sit, an homo innocens hoc duplici adjutorio indiguerit (de quo contentio est alibi a nobis tractata) eo tamen indigere homines in statu naturæ corruptæ, constans est Augustini doctrina. Postquam enim de primo homine locutus fuit, subdit: *Nunc vero Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum, ut sine illo dono perseverantes esse non possint; verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Non solum enim dixit;* Sine me nihil potestis facere; *verum etiam dixit:* Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Quibus verbis eis non solum justitiam, verum etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit.* Dissentiunt ergo ab Augustino æquilibrii Assertores, dum ajunt: homini lapso præter æquilibrium virium, nullum aliud adjutorium a Deo esse necessarium, quo perseverare velit, & perseverans fiat; alias non esset amplius liber.

XXVIII. Tandem difficile captu est, quod Deus æqualibus suæ gratiæ donis cumulet peccatores obcæcatos, induratos, Barbaros, Atheos, Hebræos, Idololatras, Turcas, aliosque sui nominis hostes, quibus cumulat amicos suos fideles, Justos, Sanctos: quod Deus, de quo dicitur, quod superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, eadem spiritualia dona largiatur superbis, ac humilibus. Quod tamen necessarium esset, ut æquilibrium salvaretur, & consequenter libertas: alias gravissimis peccatoribus peccata non imputarentur, nec eis essent peccata, si tantam non haberent gratiam, quantam habent malitiam.

XXIX. Nunc respondendum est testimonio Pauli 1. *Cor.* 10. *v.* 13. Cui tota doctrina æquilibrii innititur, nempe: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis, sed facies etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

XXX. Respondeo, hinc non probari, cum tentamur, teneri Deum, ut fidelis sit, in altera lancis parte ponere vires, quæ actu æquales sint violentiæ tentationis. Hoc enim ubi Deus promisit? Sed solum cum tentamur, nobis ad Deum confugientibus, per gratiam a Deo paratam, & oblatam vires adfuturas, qua, & possimus resistere, & actu resistamus: omnia enim possumus in eo, qui nos confortat per gratiam, si hu-

si humiliter petamus. Ut enim docet Aug. lib. de Nat. & grat. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet: sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis* (quibus Trid. Sess. 6. cap. 11. addit) *& adjuvat ut possis.* Quare licet tentatio superet aliquando potestatem actualem; auxilium tamen Dei, & gratia semper adest: & ideo dicit Paulus: *Et faciet* (Deus) *cum tentatione proventum.* Hoc est: faciet, ut tentatio, quæ obesse debuerat, homini tentato, ac eam vincenti proficiat ad meritum; quod certe in opinione æquilibrii non esset verum. Si enim, posito æquilibrio, non requireretur ulterior gratia ad actu resistendum; non Deus faceret ex tentatione proventum, sed homo sua libera voluntate.

XXXI. Quod vero ad statuendam libertatem non requiratur in concupiscentia vires æquales, quibus in sensu composito resistere possit gratiæ moventi, & excitanti; quæ est altera æquilibrii pars, quam ejus Patroni deducere conantur ex Tridentino. Dico: Quod si sermo sic de gratia mere excitante, & vocante, quæ est gratia sufficiens; potest etiam in sensu composito ei resistere, ac dissentire, si velit. Sed quare velit dissentire, hoc est, quia voluntas ejus non præparatur a Domino, ut actu velit: seu quia illa excitatio, & vocatio est adjutorium *sine quo*, non vero *quo*. Si vero sermo sit de gratia etiam adjuvante, & faciente, ut velit, quæ est gratia efficax; sic potest quidem dissentire, si velit, sed nunquam de facto volet, quia voluntas ejus erit præparata, ut velit. Et, quod idem est, poterit dissentire in sensu diviso, non in sensu composito; conjungendo dissensum actualem cum gratia sic movente, & vocante. Videri possunt ea, quæ pro explicatione hujus Canonis Tridentini diximus *Tom.* 1. *in* 1. *part. quæst.* 4. *de divin. volunt. causal. & efficacia: dub.* 2. §. 2. *a num.* 10. *usque ad* 14. Duplicem hanc vocationis gratiam distinxit S. Augustin. *lib. de Prædest. SS. cap.* 16. his verbis: *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra Prædestinati unici Filii sui, non ex vocatione, qua vocati sunt & qui noluerunt venire ad nuptias: illa quippe vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est; & Gentes, quibus Crucifixus stultitia est. Sed ex vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, ipsis vocatis Judæis, & Græcis . . . . sic enim ait:* Ipsis autem vocatis, *ut eos ostenderet non vocatos: Scions esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sint, quos ante præscivit, & prædestinavit conformes imaginis Filii sui. Quam vocationem significans, ait;* Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori. *Nunquid dixit:* Non ex operibus, sed ex credente? *Prorsus etiam hoc abstulit homini, ut rotum daret Deo. Dixit ergo:* Sed ex vocante; *non quacumque vocatione, sed qua vocatione fit credens.* Et his finem huic quæstioni imponimus.

QUÆSTIO III.

De gratia habituali.

DE gratia habituali, seu justificante, sermo hic procedet: ad quam sive acquirendam, sive acquisitam conservandam, omnes gratiæ actuales ordinantur. Hæc est proprie gratia gratum faciens hominem Deo; quæ nempe eum facit filium Dei, fratrem Christi, membrum vivum corporis ejus, Templum totius Trinitatis: quæ demum peccati maculas delet. De hac quatuor explicabimus. Primo, essentiam. Secundo, perfectionem. Tertio, causam. Quarto, effectus.

DUBIUM I.

An gratia habitualis sit donum intrinsecum Animæ?

§. I.

Pauca supponuntur.

I. SEcundum communem modum loquendi (inquit S. Thom. hac 1. 2. quæst. 110. art. 1.) *tripliciter gratia accipi consuevit. Uno modo, pro dilectione alicujus: sicut consuevimus dicere, quod* iste miles habet gratiam Regis, *idest Rex habet eum gratum. Secundo sumitur pro aliquo dono gratis dato: sicut consuevimus dicere:* Hanc gratiam facio tibi. *Tertio modo sumitur pro recompensatione beneficii gratis dati; secundum quod dicimur agere gratias beneficiorum. Quorum trium, secundum dependet ex primo: ex amore enim, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod aliquid ei gratis impendat. Ex secundo autem procedit tertium: quia ex beneficiis gratis exhibitis gratiarum actio consurgit.* Hæc S. Thom. Quærimus ergo: an gratia habitualis, seu justificans, sit sumenda primo modo: ita ut nil aliud dicat, quam amorem Dei habentis hominem gratum. An vero etiam secundo modo: ita ut sit donum ex Dei amore in hominem descendens.

II. Esto autem dilectio Dei, qua suas creaturas diligit, in se una sit, nempe, actus immanens divinæ voluntatis; ex parte tamen effectus, distinguitur in generalem, & specialem. Prima est, qua secundum illud Sap. 11. *Diligit omnia, quæ sunt:* ex qua procedunt in creaturis bona naturalia, & communia, ut esse, vivere, & alia, quæ ad naturam pertinent. Altera est, qua peculiariter aliquem diligit: & ex hac procedunt dona ad salutem æternam conducentia. De hac ergo loquimur: an gratia habitualis, qua homo dicitur Gratus Deo, præter Dei amorem, dicat, & sit aliquid intrinsecum ex Dei amore æterno, temporaliter in homine productum.

III. Lutherus, Calvinus, cæterique ex eorum grege, existimant, gratiam Dei nil aliud importare, quam extrinsecum ejus favorem, & benevolentiam, qua homo dicitur Deo gratus, & ab eo dilectus: & esse justum nihil aliud esse, quam justitiam Dei, qua in se justus est, homini imputari, ut suo loco dicetur. Catholici tamen Doctores concorditer volunt, gratiam habitualem esse aliquod donum, ex Dei amore speciali in homine productum, quo intrinsece Deo gratus, & justus denominatur, & est.

§. II.

Catholica assertio.

IV. DIco. Gratia habitualis, seu justificans, est donum intrinsece nobis collatum, ex speciali Dei dilectione descendens, non vero pure favor Dei extrinsecus. Ita contra Lutherum, & Calvinum statuit Trident. *Sess.* 6. *Can.* 11. his verbis: *Si quis dixerit, hominem justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, quæ justificamur, esse tantum favorem Dei: anathema sit.*

Contra quos etiam clamat Scriptura. 1. Jo. 3. vers. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet. Et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Ex quibus habemus, in renatis ex Deo per gratiam dari aliquid manens, seu permanens, veluti semen Dei, quod impedit, ne mortaliter peccent; quia facit, quod simus nati ex Deo, & filii Dei: sed nullus ex altero nascitur, nisi quatenus intrinsece participat naturam ejus, ex quo nascitur, & cujus efficitur filius; ergo gratia, qua dicimur nati ex Deo, & filii Dei, est aliquid intrinsecum in nobis manens.

V. Secundo. Id probat Apostolus *ad Ephes.* 4. *vers.* 23. & 24. dicens: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Super quæ D. August. *lib.* 6. *de Genes. ad ad litt. cap.* 24. ait: *Quomodo renovari dicimur, si non hoc accipimus, quod perdidit primus homo? Hoc plane recipimus secundum quemdam modum; non* immortalitatem corporis recipimus, quam non *habuit homo; sed accipimus justitiam, ex qua, per peccatum, lapsus est homo:* atqui secundum hæreticos, quos impugnamus, primus homo fuit justus justitia sibi intrinseca, & non sibi imputata; ergo si per gratiam renovati accipimus illam justitiam, secundum quam fuit creatus, & a qua lapsus est homo, accipimus justitiam nobis intrinsecam.

VI. Idem Apostolus *ad Rom.* 5. instituens comparationem inter jacturam, quam fecit homo per peccatum Adami, & lucrum ex gratia Christi, dicit vers. 19. *Quod sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem, justi constituuntur multi.* Et vers. 20. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Eodem ergo modo constituuntur homines justi per Christi obedientiam, quo per Adami inobedientiam constituti sunt peccatores: atqui secundum Lutherum, & Calvinum homines constituti sunt peccatores, non per externam Adæ injustitiam, aut ejus imputationem; sed per peccatum ab eo originaliter in omnes derivatum, ac unicuique proprium, & intrinsecum; ergo homines constituuntur justi, non per solam extrinseceam Christi justitiam, ejusque imputationem; sed per justitiam intrinsecam a Deo, per ejus merita, in eos derivatam. Alioquin si homines justi manerent intrinsece peccatores, & solum dicerentur justi per justitiam Christi eis extrinsece imputatam; quomodo diceret Paulus, quod ubi *abundavit delictum, superabundavit gratia?*

VII. Idem S. August. *lib. de spiritu & litt. cap.* 9. ad illa verba Pauli Rom. 3. vers. 21. *Justitia Dei manifestata est* (inquit) *Non dixit justitia hominis, vel justitia propria voluntatis, sed justitia Dei; non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium.* Et post pauca, allatis ejusdem Pauli verbis vers. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi*, subjungit: *Sicut autem ipsa fides Christi dicta est, non qua credit Christus: sic & illa justitia Dei, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est; sed ideo Dei, & Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.* Et ibidem *cap.* 32. ait: *Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris; non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur; & Domini salus, qua nos salvos facit; & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit. Hic est justitia Dei, quam non solum docet per legis præceptum, verum etiam dat per spiritus donum.*

VIII. Hæc, & alia Augustini testimonia aperte adeo pugnant contra errorem oppositum, ut Calvinus ipse hoc videns, *lib.* 3. *Instit. cap.* 11. §. 15. ita effutiat: *Nec Augustini quidem sententia, vel saltem loquendi ratio per omnia recipienda est; tametsi enim hominem omni justitiæ laude spoliet, ac eorum Dei gratiæ transferibat; gratiam tamen ad sanctificandum referebat, qua in vita novitatem per spiritum regeneramur.* Ita iste Nebulo sua confessione se damnat. Si enim Augustinus, teste ipso, gratiam nobis intrinsecam asserit, Calvinus negat: quis rationis compos, ut sequatur Calvinum, relinquit Augustinum?

IX. Probatur autem ratione D. Thom. hac *quæst.* 110. *art.* 1. sic. Per gratiam justificantem fit homo objectum congruum divinæ dilectionis supernaturalis, & in ordine ad finem supernaturalem; ergo in homine debet poni aliquid intrinsecum, quo in tali ordine sit bonus, Deo gratus, & a Deo amabilis. Conf. prob. Hæc est enim differentia inter gratiam Dei, & gratiam hominis, amorem Dei, & amorem hominis; quod gratia, & amor Dei facit bonum id, quod amat, & diligendo facit bonum: gratia autem, & amor hominis supponit